
I:N: PECHLINI
DE
PURGANTIBUS
EXERCITATIO.

JOH. NIC. PECHLINI,

DE

PURGANTIUM


MEDICAMENTORUM

FACULTATIBUS

EXERCITATIO

NOVA.

Editio ultima cum Indice materiarum aucta.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1702.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
GUSTAVO ADOLPHO,
DUCI
MEGAPOLITANORUM,
PRINCIPI,
HENETORUM,
SUERINENSIUM
ET
RATZEBURGENSIUM,
NEC NON
COMITI
SUERINENSIUM,
TERRARUMQUE
ROSTOCHII
ET
STARGARDIÆ
DOMINO.
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS.



Repit è Bataviæ ſinu, & vindicem ſibi parat noſter hic libellus; exile certè, ſterile & monogrammon opus in tanti Principis oculis. Sed virtutum iſthoc in Te jubar, nec minor faſtigio illo comitas, ut auderem ſollicitique pudoris ponerem notas, facilè effecerunt. Quid enim ad Principem ego confugere extimeſcam, cujus etſi Magnitudo petentium obſiſteret votis, tempera-

perata tamen Lenitas adeuntium ſpes faceret prolixiores ultroque invitaret. Conciliavit hoc Tibi decus Sapientiæ ſtudium & Cœleſtium appetentia, cumque gentilitiâ Te virtute ſupra Principis optimi famam efferre potueris, ſtudio maluiſti & operâ ipſe tuâ omnium in Te oculos convertere; neque bellicas tantùm artes, quas plerique hodie Principum ambiunt, ſed literas quoque fovere indulgentiuſque proſequi, ſed accuratiore omnia curâ, Hebræa, Græca, Latina, Sacra, Profana ipſe expendere; ut inter tantæ claritudinis Principes Herculis Muſagetæ famam verè æquaris, oſtenderiſque unus omnium bellicæ quoque artis cum ſapientiæ ſtudio

miſturam eſſe poſſe. Decantata eſt, Heros Inclyte, & paſſim expoſita animi tui magnitudo, neque Miles duntaxat aut Civis, ſed & Muſas qui colunt ſeveriores, in Principe habent quod diligant, probent, imitentur. Hoc in Te uno ſuſpicit Germania, & certatim colit; hoc noſtra olim ſenſit Batavia, & Parentis mihi mei conſtat memoriâ. Sed cum nihil adeo in qualibet ſcientiâ ſit ſublime, adeo abſtruſum, quin exercitatam tuam criſin attigerit, etiam hoc, quicquid eſt lanuginis votæ aut primitiarum, Sereniſſimo Nomini Tuo conſecrare non erubui: quod licet inſigni quodam exemplo audendum fuit, placuit tamen abjecto, ſed gra-

viſſimo

viſſimo argumento, Leniſſimi Principis aures obtundere, &, cum nec plebeja Thura nec Farris modicum Jovem offendant, experiri, quid in Celſitudinem mihi veſtram concederetur. Sed & guſtum dare aliquem, Sereniſſime Princeps, laboriſque mei lineamenta ducere oportuit. Merſerat olim diſciplinarum proceſſus terminorum inſolentia, & vana paſſim occultaque qualitas Scholaſticos exercebat; quæ res uti peſſimi exempli fuit & in Naturalibus invidioſa, ita ſerò tandem animadverti cœpit, & à Chemicorum filiis explodi. Paracelſi primum ventoſa ſoboles caſtigare hoc & ulciſci nefas viſa eſt, ſed dum ipſa ambitione quâdam

in tria naturam Principia conglobavit, ipſa ſui merces fuit, Helmontioque & erectioribus animis ludibrium debuit. Sed nec ipſi invicem Chemici, quam in Scholaſticis damnabant τεαυλότητα, in Paracelſo ambitionem, effugere potuerunt, adeo mihi videntur omnes aut Lymphatici aut Cereti: quare, ne aut Scholaſtici lectionem ejurarent libelli, aut Chemicos, ut pote veraciores, haberem inimicos, mediâ inſtiti viâ, & Chemicorum intermiſtis ſalibus facultates Scholarumque formas temperavi. In Purgantibus hoc tentandum eſſe duxi, ubi pro ſuo ingenio nudam qualitatem aut Formam ſpecificam obtulerant Magiſtri, Chemici, prout vel

vel faſtus aut caligo mentem occupaverat, Mercurium tantùm aut vagum quendam Spiritum; quaſi nihil intereſſet, quomodo ſolveretur. Admovi deinde Anatomicam manum, & quas vias perreperet Purgantium ſubſtantia, digito monſtravi, ut nihil etiam pro hâc rerum novitate me falleret, Chemiæque perinde ac Anatomiæ uſus in Medicina conſtaret. Ut vel hoc etiam nomine ad Te migrare debuerit laboris mei exemplum, ſi tanti eſt peregrinum adſpicere, interque cultores tuos admittere. Equidem, quod publico teſtari elogio non poteſt, Sereniſſime Princeps, tacitâ quadam religione in Te veneratur, contentiſque votis Deum T. O. M.

pro ſalute Tuâ, pro Celſiſſimæ Domus tuorumque proſperitate, rogat

SERENISSIMO PRINCIPI

Devotiſſimus

JOH. NIC. PECHLIN,

Med. Doctor.

LECTO-

LECTORI CORDATO SAL.



Uod plerique in præfationibus habent institutum, scripta extenuare sua & propriæ prævaricari laudi, quam vel ambitiosè appetunt, id nos minime decere putavi, Benevole Lector. Imo quod illi tacitum ferunt & in scriptis suis superbè detonant, id nos semel & conceptis verbis tibi in aurem dicimus, esse scilicet hanc lucubratiunculam, quâ tuum demereri studium bonamque voluntatem seriò conamur. Si abortiva videtur offa, scito & hanc nonnunquam laboriosius solvi, si ἡμίεργον & emendicatæ hinc inde laciniæ, sic solere nostros puta, sin detritum quid & lacerum, quæ nascentis experientiæ est calamitas, hoc tu tuis aliquando experimentis confice, aut, si placet, emenda, ut quæ dimidia nobis, tibi consummata tandem constet laus. Est tamen, in quo mihi placeam, quòd eorum nemo, qui hac in palæstrâ desudarunt, ex suâ Hypothesi tot tantasque difficultates enodarit, quantas nostra promittit & assequitur demonstratio, ut frustra in suo Libro triumphet Erastus. Quod si aliquibus ipsum novitatis argumentum suspectum esse cœpit, illos ideo in Theatrum venire Catones censeo, ut exeant. Sed monendus es

Lector,

Lector, unum adhuc aut alterum mendum ex Typothetæ incuriâ remansisse. Pag. 61. prodit pro perit. Pag. 176. gynecæis per diphthongi metathesin pro gynæceis aut gynæciis, quod ego malim, cum synæcium apud Petronium. Alibi plura, sed quæ tuæ fidei committimus. Nunc, quæso, patere ut à me exeam, & poëticè magis quàm humanè loquar, tanquam si placeret hic impetus aut blandientis sibi sarcasmus.

Vana dum longè Medicos fatigat
Forma, Purgantisque Rhei potestas
Fallit, & spe destituit sonantes
Grande magistros.

Me rudi censore reducta forma est
Vera, Purgans inque elementa certa
Solvitur, pars hæc oleum refert, pars
Cætera salsi,

Et levis ludit specie liquoris.
Hacce misturâ sua constat illi
Forma, quâ motum subito resolvit
Turbine ventrem.

Sic Rhei vires trutinâ probantur
Chemicâ, Sennæque recentis herba
In diem protracta redit. Vel herclè
Cuncta caligant.

Vale Lector, sequentesque excipe blanditias.

HONORI

Politissimi & Emendatissimi VIRI

JOH. NIC. PECHLINI,

Med. Doct.

Libro de Purgantibus, famam ingressuri.

EX omni populo sodalitatum,
Quas cum tempore glutinavit hora
Leidensis mihi commorationis,
Jucundissime PECHLINI, fuisti
Unus perpetuò probatiorum.

Seu quod gratia lusibus dicatæ
Ætatis placita eminebat in te;
Seu quod postea sæpe prædicantem
Et de te bene multa pollicentem
Cernebam sibi, quem patrem vocavi.

Id quidquid fuerit, licet videre
Huic immitia fata denegarunt
Messes ingenii tui coactas,
Nunc demum liquide tuâ beatum
Consuetudine me reor fuisse.

Nunc,

Nunc, quando incipis exhibere mundo,
Quam non duxeris otium ſolute;
Qua pulchram lucubratione mentem
Delectaveris; & laborioſis
Quid tot denique noctibus pararis.

Quum te corporibus tuæ medendis
Vitæ tempora collocare ſcirem;
Et cognoſcere, quæ potentia eſſet
Herbarum; brevis iſte quam politè,
Quam mire foret explicatus orbis;

Mirabar vehementer, ô amice,
Te contra temere modum ſtudentum,
Qui ſane loculos ad elevandos
Quam morbos, ſoliti male ordinatis
Plumis Icareo volare more;

Mirabar vehementer, ô amice,
Contra præcipientium ſtuporem
Fallentem juvenes opinione
Stultâ; denique ſemitam valere
Contra tempora te tenere rectam.

Mirabar vehementer, ô amice,
Miſcentem medicis Latina, Græca;
Interque Hippocratem venire Plauti
Scenam, nunc Ciceronis elegantem,
Nunc qui ſunt alii ſuper, loquelam.

Sic

Sed rectè, NICOLAE: ſingulare
Legiſti haud vacue hoc iter laboris.
Almæ Theſpiades fuiſſe ſemper
Produntur memores ei, decentem
Illarum ad ſacra qui tulit paratum.

En tempus venit! en! plagas per omnes
Quo famæ lituus tuum ſonabit
Nomen, PECHLINIUM aſſeretque cœlo.
O te PECHLINIUM tui laboris
Lætum, meque tuæ ſodalitatis!

En, dum, qua ratione putre corpus
Purgari queat, erudire tentas,
Quid dicent aliud, quibus legeris,
Quam mentis bene judicantis eſſe hunc
Librum? quam cerebri ſine fœce puri?

JAC. GRONOVIUS,
J.C.

** In

In Librum de Purgantibus

Doctissimi Medici

D. JOH. NIC. PECHLINI.

Τίπτ' ἔτι Πηλείδαο Διδάσκαλον Ἑλλὰς ἀγάζῃ,
Τίπτε Διοσκορίδου παμβοτάνοιο λόγους;
Εἰσέτι θεσπεσίου Ἀναζαρβέος, εἰσέτ' ἀκούω
Σώφρονα Φιλλυρίδου Φαρμακόεντος ἔπη.
ΠΕΧΛΙΝΙΟΣ μὲν ἐμοὶ ὅδε τηλίκος ὑποσὶ νούσων
Ἄλκαρ ἀκεστορίῃ καὶ βοτάνῃσι μέλει.
Ὅσσα τε μητιόεντα καθαρτικὰ φάρμακα Χείρων,
Ὅσσα Διοσκορίδης ἔμμαθε, πάντα μάθεν.
Καὶ Βαταβοὺς τὰ δίδαξε. τί λοιπόν; ἀγάλλεο πάτρη·
ΠΕΧΛΙΝΙΟΣ πανακὴς πᾶν ἄχος οἶδε δαμᾶν.

P. GEESTERANUS,

Medic. Doctor.

ΤΩ

ΤΩ

Παιδευτάτῳ καὶ τῶν ἄλλων ἀνταξίῳ ἰητρῷ

I. NIK. ΠΕΧΛΙΝΩ,

τὴν περὶ τῶν Καθαρτικῶν διατριβὴν ἐκδιδόντι.

Ὡς μὲν τοὶ Πεχελῖνε νόος Φοῖβος καθαρός τε,
Τοῖσιν ὃς ἐν σελίσιν τὰ Καθαρτικὰ φάρμακα φαίνεις
Ἔξοχα τῶν καθαρῶς νεαρῶν θ' ἅμα ἠδὲ παλαιῶν;
Σφάλματα χαὐν' ἰατρῶν σὺ μαψιδίως ἀνοήτων
Λυμαίνῃ, καὶ ἐτητυμίην τὴν κευθομένην περ
Ψεύδεος ἐν κευθμῶνι, λόγοις νῦν ἀσυφελίκτοις
Ἐς φάος ἐκπέμπεις. Εὐδαίμων τοῖος ἀκεστὴς,
Ὅστις μήτ' ἀμέτρως ἐν γαστρὶ λύσεις ἐπεγείρει,
Σκεπτόμενος γε μέτρον, ὃ φύσις ἐπέθηκεν ἄκεσσιν·
Ληϊστὸς μὲν γάρ τε δόμος, πεδία χλοάοντα,
Καὶ χρυσὸς λιθάκεσσι μεμιγμένος εὐγενέεσσι,
Κτητοὶ μὲν τρίποδες, τὰ καὶ ἠλέκτροιο τάλαντα.
Ἀνθρώπου δὲ βίος πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὸς,
Οὔθ' ἑλετὸς, κώλοιο μὲν ὅκκ' ἀπελαύνεται ἐκτός.

A. BERKELIUS, M.D.

AD

Clarissimum Medicum

JOH. NIC. PECHLINUM,

De Purgantium facultat. disputantem.

OMnium causas reperire rerum
Ingenî non est levis aut retusi:
Quippe, dum caligineâ tenentur
Pleraque nocte
Arte perplexâque jacent sepultæ
Corporum formæ, sua quemque vexat
Mens, nova huic, illi veterum probatur
Abdita Forma.

Hic tamen tentans aditus *Machaon*
Corporis, veram methodo capace
Extulit formam, solidéque tradit
Filius artis.

Ergo ut abducto patuere velo
Conditæ rerum facies, & ultro
In suâ tandem medicina Purgans
Luce refulsit:

Gratulor curâ vigili peractum
Hunc librum PECHLINE tibi; superste
Differet te Pegasio volatu
Fama per orbem

ABR. PAEUW, M. D.

SYL

SYLLABUS

CAPITUM.

CAP. I. D*Uras esse utriusque & Hippocratis & Galeni comparationes. Succum nutritium non trahi in plantas sed pelli. Ex hypothesi eadem posse trahi ab iisdem, Magnetem à magnete, Ferrum à ferro, Galeno neganti ostenditur.*

II. *Purgantibus nec cum Magnete quicquam, nec Electro esse commune. In hisce materiam quandam æthereăm; in istis solidam esse substantiam in causâ. Plato serò latinè cognitus.*

III. *Galeni quoque non minus & hoc esse ineptum, à coloribus aliquid ad Purgantium designandam naturam deducere. Nihil hic qualitatem, nihil colores conferre, eodem siquidem coloris fuco versicolores Purgationes, à nigro Elleboro albas flavasque, à Rhabarbaro nigras duci ostenditur. Cnici seminis cortex lanæ caprinæ similis; Theocriti κνάκων. Nigrarum dejectionum materia atramenti instar. Theriaca à chalcitide nigra.*

IV. *A Sapore etiam Odoreque petitam Crisin mendacem esse probatur. Ex Aristotele prodit medicamentorum δυσπεψία. In lac solidæ transeunt purgantium particulæ, Vitriolumque martis à podice recipitur integrum. Purgatio-*

 nem

nem intervertit horror febrilis, calor resuscitat. Pilulæ octiduum latitantes.

V. *Erasti* δυσπεψία *exploditur. Soliditatis aut modi quantitativi nulla ad Purgationem necessitas. Partes substantiales è Purgantibus in liquorem emittuntur. Etiam ex Antimonio, Ferro, omnibus denique metallicis. Aurum in placidissimum humorem particulas effundit. Ferrum in Struthiocameli ventre. Purgantia metallica in ventriculi menstruo.*

VI. *Ex metallis sensibilem elici purgativamque substantiam, ad sensum probatur. Metallorum corporea effluvia,* ἀναθυμιάσεις *apud Aristotelem.*

VII. *Non omne, quod est in Vegetabilibus aut Metallicis, in particulas resolvi Purgantes, sed in eodem subjecto contraria sæpe esse principia, cum Adstrictionis tum Purgationis. Istud, terreum esse plerunque aut austerum; hoc, pingue, oleosum, & Resinæ simile aut vinorum Sapæ; ideoque non ineptè in Vegetabilibus Resinam dici, in Metallicis Sulfur. Veram in hac Resinâ vel Sapâ quærendam purgantium formam, nullis ferè mollioris humidi solutionibus edomandam.*

VIII. *Excutiuntur Resinæ aut Sapæ purgativæ partes. Evocatur spiritus per Alembicum, sed impotens. Vapor in Clauso vase simplex refert elementum, in aperto totius formam. Itaque hic purgat, ibi nihil efficit. Rhabarbari, Tabaci, Tartari, Spiritus, Vapor.*

IX. *Pur-*

IX. *Purgantia in Salem exusta nihil etiam retinent facultatis purgativæ, sed communem principii sequuntur Naturam. Qualitatis aliqua in salibus varietas. Galeni locus insignis. ἅλες καθαρτικοὶ Dioscoridis. ἁλαλίας Pauli.*

X. *Alius objectionis nodus dissolvitur. Ab Odoribus Purgatio, ab Emplastris, Pilis, Epomphaliis. Antimonii aliorumque fumus purgans. Ubique totius Sapæ effluvia, non simplicis Elementi. In Extractis Principiorum mistura, etiam Terræ.*

XI. *Demonstratur Oleosi aliquid Purgantium Sapa contineri, etiam Metallicorum. Usum ejus quoque esse aliquem in Purgatione. Oleosa & pinguia Hippocrati πολύχοα. Balsamum Sulfuris purgans. Sal volatile Oleosum. Sapo.*

XII. *Volatile etiam aliquod in Sapâ ostenditur, ejusque usus. Hujus fugâ Medicamenta λειποψυχήσαντα, in Hippocratis Epistolâ ad Cratevam. Metallica purgandi vim amittunt volatili abeunte principio, aut fixato.*

XIII. *Præcipuum in Sapâ fortium Purgantium elementum Acre esse, ejusque beneficio viscida attenuari, cohærentia dividi. Hoc habere cum Alterantibus commune, solo enim motu fermentationeque purgantium constare formale. Galeni εὔροον σῶμα: τέμνειν καὶ λεπτύνειν est Purgantium, quatenus alterant præparantque. Cassia, Manna & Fructus horarii tantùm fermentant, sed nisi in præparatis corporibus.*

Elaterium, Euphorbium, Colocynthis etiam alterant. Purgantium acre ſenſibus innoteſcit.

XIV. *In Vegetabilibus tamen & Metallicis plurima eſſe vehementiſſima medicamina, quæ nullum præbeant linguæ acrimoniæ ſenſum. Linguæ multa inſipida videri, quæ communi tactui ſenſilique membranæ facilè appareant acria. A ſenſorii hoc ſubtilitate, aut acrimoniæ plus minus occultæ modo dependere. Metallica, Lapis Lazuli, Gummi Indicum. Idem hoc acre ſub contrariâ qualitate poſſe deliteſcere in Vitriolo albo, Martis Cryſtallis & Squamâ Æris, aliiſque ex Galeno oſtenditur.*

XV. *Acre hoc etiam partem ſapæ purgativæ eſſe inde probatur, quod lotione eliquetur extrahaturque purgantibus, ſapæ pariter & purgationis detrimento. Aloë, Squama Æris, utraque lota apud Galenum quid poſſit. Pinguedine etiam externâ involvitur hoc acre miteſcitque, ut hinc quoque conſtet eſſe ejus aliquam ad Purgationem neceſſitatem. Objectio diſſolvitur.*

XVI. *Definitur Purgantium acre quale ſit. Acre duplex. Salſum Acidum. Ignis acris propter utrumque. Acrimonia eſt figuræ modus, fitque vel Naturâ vel Artificio, ubique ignis ſeu motus beneficio. Salſum & Acidum acre ſubſtantiæ modo ab ignibus differunt vulgatis, ſunt enim magis corpulenta minuſque mobilia. Nitri flamma à ſpiritu ſuo acido mo-*

tu & ſubſtantiali tantùm modo differt : etiam Sulfuris flamma ab oleo ſuo acido. Naturalis acrimonia in multis manifeſta, in Aceto, Citrique ſucco acida : in Algâ Vitrariorum ad oculum ſalſa lixiva, in Tithymallo, Euphorbio Thapſia & aliis. Lixivam ſalſam in purgantibus eſſe probatur ex ſanguinis colliquamento, quod purgantia inferunt. Ex guſtu & deſtillatione. Κενῦν, τήκειν, *apud Sophiſtam Theona.*

XVII. *In ſalſedine lixivâ cum acrimonia tum purgandi vim contineri experimentis à contrario probatur. Salſi & Acidi lucta Efferveſcentia Chemicis, etiam Platoni cognita. Per Acida temperantur, enervanturque Purgantium vires. E Vomitorio fit Purgans, è Purgante Sudoriferum. Granum Cnidium, Gummi Indicum, Euphorbium Quercetani in pilulis ad peſtem. Helmontii fulmen.*

XVIII. *Refutantur objicientium argumenta, ab acidis potius Purgantium vires acrimoniamque excitari. Oxymeli Hippocratis Elleborum impellit.* Ἐλλέβοροι *pro uno alboque Elleboro. Mercurius quomodo acidis efferetur. A ſalſis autem lixivis, ſale volatili, Tartari fixo Purgantia temperentur & corrigantur. Acida per Efferveſcentiam Purgantia enervant. Salſa lixiva per fermentationem.*

XIX. *In omnium itaque miſturâ, Oleoſi, Volatilis, Acris, Purgantium conſiſtere formale,*

ita tamen modificatâ, ut ejus indivisibile aut numeros attingere humana acies nequeat. Fermentare equidem & Attenuare sanguinem communia esse vehementium Purgantium Accidentia, sed prout hujus illiusve principii communisque nexus major est varietas, ita potentiùs hoc facere; neque tam specificâ formâ quàm gradu à se mutuò differre: à Vomitoriis verò, quòd in his omnium perinde principiorum, maximè autem volatilis, majus sit acumen; à Lenitivis, quòd in horum misturâ non tam acre quàm volatile superficiarium emineat.

XX. *A Sudoriferis quoque & Diureticis Purgantia nisi gradu vix differre. Levem præparationem efficere, ut Purgans in Sudoriferum transeat, in Argento & Antimonio ostenditur. Cremor Tartari purgans, sed mistum: Spiritus Tartari sudorificus, at simplex. Etiam à dosis variatione evenire, ut aliquid sit Diureticum, Aristoteles in Scammonio probat. Purgantium repetitur forma & ad particularia extenditur.*

XXI. *Medicamentorum deducitur ratio, quodque antè in genere in Purgantibus demonstratum est, nunc in specie & singulis illorum ostenditur. Cholagoga prodeunt, & in his Scammonium, Rhabarbarum, Aloë. Phlegmagoga, Euphorbium, Elaterium, Turbith, Agaricus. Hydragoga, Mechoacanna, Gummi Indicum.*

Me-

Melanagoga, Elleborus, Senna. Præparationes examinantur.

XXII. *Metallicorum nunc quoque ſigillatim excutiuntur præparationes & purgativum demonſtratur principium. In Mercurio, & Antimonio, Auro, Argento, Ære, Ferro, & Lapidibus.*

XXVII. *Demonſtrato jam Principio purgativo, in Metallicis perinde ac Vegetabilibus, ad Purgationis properatur accidentia, effectuſque & cauſæ ratio initur. Sed antequam venis committuntur purgantia, falſæ quædam de iis & infatuatæ opiniones diluuntur. Diſquiritur utrum ſint venena; eâ occaſione venenorum eluceſcit natura. Multiplex venenorum diſtinctio. Occulta alia, alia manifeſta. Ex naturâ aliqua, ſed bene multa ex præparatione. Ventri quædam, nonnulla ſanguini infeſta. Etiam ex accidenti & vitio natalium. Metallica aura in herbis non purgativa ſed corroſiva, contra Quercetanum & Kircherum. Elleborus albus ex præparatione venenum, Gallorum Venenum Cervarium, Galeni βελένιον Bebelianæ reſtituendum. Venenum propriè Ariſtoteli, quod in minimo nocet. A Veneni ſuſpicione vindicantur Purgantia. Campegius notatus.*

XXIV. *Malignitas tamen certa ſubeſt Purgantibus. Hæc Terreſtris crudioriſque partis ſeparatione corrigitur. Separatio per Vini ſpiritum*

ritum optima; nam Resinatam partem bene emancipat. Infusio ubique decoctione præstantior. ἐλλέβορος μαλθακὸς apud Hippocratem. Purgantium vera citantur correctoria.

XXV. *Sed, antequam in gulam transeant Purgantia, falsa & inveterata de Electione opinio diluenda est patulumque vulnus obligandum. Itaque seriò multisque experimentis ostenditur, nullam esse in medicamentis Electionem, sed, quod agunt, necessariò, & ex Substantiæ modo Elementorumque crasi agere; tum quòd eadem uno agere modo, singulosque ducere humores videantur, ab objecti humorumque dependere mobilitate. Hippocratis locus illustratus & ab interpretum, maximè Septalii, injuriâ vindicatus. Fernelii de Cacochymiâ lapsus. Graafii sententia reficta.*

XXVI. *Dosis nunc quoque deducitur ratio, hanc non continuò pro cujusque Practici supercilio observandam esse, neque ex Veterum dictatis judicandam. Aliam quippe nunc esse corporum patientiam, quàm apud seclum prius. Alium apud singulas nationes vitæ ordinem. Aliud denique temperamentum individui. Proinde dosim morosè describendam non esse. Hippocratis in Epistolâ ad Cratevam locus. Exemplum Scammonii & Gummi Indici.*

XXVII. *Eliminato omni præjudicio & divinatâ dosi ventri committuntur Purgantia, ubi non restant ex Erasti Sententiâ, sed, quà data por-*

porta, ruunt, impulsore intestinorum motu. Posse aliquas purgantium partes in intestinis morari & proximâ Sphæra evocare humores, experimentis & particulari purgatione probatur, hoc vero non Tractione, sed Fermentatione. Aquapendentis locus explanatus.

XXVIII. *Quâ specie resolvantur Purgantium particulæ, disquiritur; Solutionis esse speciem, videri; quia fluidum ubique corporis exundans rapis diluitque solubilem purgantis portionem, Resinam à nobis dictam. Halitum necessariò in aëris spatio fieri, ac proinde dubium esse, an in venarum aut viscerum cavitate, quippe quæ tota humido obsessa sunt, naturaliter contineri possit. Experimenta deducuntur. Altera fluidi dissolventis utilitas.*

XXIX. *Solutæ Purgantium particulæ fluidi motum sequuntur, cum intestino calore tum motu intestinorum peristaltico propulsæ. Alimenti iter insistunt, venarumque Lactearum osculis insinuantur, sed & Cœliacarum Mesaraïcarumque extremitatibus. Aristotelis insignis locus. Purgantia superficiei corporis admota, ducente fluido corporis, in venas & interiora deducuntur.*

XXX. *Purgantium effluvia è Lacteis in Venas exponuntur Lymphaticas, è Mesaraïcis in Hepar, totumque inde sanguinem. Purgantia in Lac transeunt. Hippocratis testimonium.*

Prosperi

Prosperi Martiani de Nutricis Purgatione & Cichorii surculo observatio. Epomphaliorum, Epithematum purgantium Atomi perinde atque aliorum Sphæram universi sanguinis pervolant.

XXXI. *Per omnes sanguinis partes dividuntur effluvia, & vel ex minimâ mole unoque grano redundat, quod toti sanguini inficiendo satis est. Exemplum solutionis granorum Kermes. Mercurii sublimati austeritas. Colocynthidis amaror immensum laticem sapore inquinant suo.*

XXXII. *Quænam sit mutatio, quam sanguinis partibus inferant Purgantia, deducitur, tam ex Elementorum sapæ ingenio, quàm totius crasi. Quatenus Volatile quid subest & Oleosum, sanguinem inflant & rarefaciunt, ὀργᾶν quid Hippocrati. Quatenus Acre, attenuant & incidunt: sed quatenus misturam faciunt inque Sapam coëunt; fermentant præcipitantque; formale Purgationis. Omnia hæc ad veri seu validioris Purgantis essentiam pertinere.*

XXXIII. *Lenitiva, quæ uno fere principio, unâque veri purgantis parte funguntur, vel copioso perfunduntur Volatili, & fermentant, ut Cassia, Manna, Tamarindi, Mustum, fructus horæi, &c. aut Acri gaudent potentiore, & attenuant, ut Salia lixiva Fixa, Volatilia, Muriatica: vel denique Oleoso scatent, & emolliunt viarumque asperitates tollunt, ut*

Oleum

Oleum Olivarum, Amygdalinum, &c. Sed & alia sunt, quæ pro objecti modo alvum aliquando detrahunt, suntque proinde per accidens Purgantia: ut Aquea, Terrea, Austera, Naturâ sua Purgationi contraria.

XXXIV. *Quid Purgantia à Vomitoriis in agendo differant, utraque quid rursum à Sudorificis. Vomitoria magis Volatilia citius emergunt adeoque citius fermentant. Sudorifera, quia in istis misturæ ratio oppressa est, aut Volatile inhæret superficiale, sed Sulfureum, agitant duntaxat & calefaciunt massam, non fermentant. Hinc illæ tantùm partes discedunt, quæ calore separari possunt, ut Aqueæ; cæteræ, quæ nisi fermentatione non sequestrantur, ut Biliosæ, Pituitosæ, solis Purgantibus detrahi se patiuntur aut Vomitoriis:*

XXXV. *Purgantia, Humoresve secreti an acumine vellicent vasa, ut moveantur & destinatum viscus appetant. Irritatio exploditur, maximum apud plerosque præsidium. Arteriarum non est motus Peristalticus, quia destituuntur fibra motrice. Universus sanguis musculorum motu circulatur. Hujus deinde circulationis ceu pulsus beneficio in viscera præcipitantur humores, & per glandularum poros in receptacula propria adiguntur.*

XXXVI. *Secretam jam fæcem excretioni destinari in Intestinum declaratur. Secreta*

Bilio-

Biliosa non vesicæ tantum bilariæ sed & Hepati debentur. Non per Cysticum modo ductum in Duodenum sed Hepaticum transeunt. Experimenta varia adducuntur. Serosa à Pancreate repetenda. A compluribus deinde aliis ductibus. Ab Intestinorum glandulis biantibusque tubulis. Herophili & Galeni de iis testimonium. Oesophagi Glandulæ Ventriculique poruli producuntur. A Mesenterii Venis Arteriisque nihil immediatè manare infusoriâ ostenditur. Exposita in Intestini recessus, ejusdem motu peristaltico in extremam alvum devolvuntur, & janitorem pulsando ostium aperire cogunt; inde in auras elapsa Medicum sollicito labore & ægrum valetudine suâ liberant. Nosque manum de Tabulâ.

JOHAN-

JOHANNIS NICOLAI PECHLINI, M. D.

DE PURGANTIUM MEDICAMENTORUM FACULTATIBUS EXERCITATIO.

PROOEMIUM.



Uis non intelligit, optimam esse cum in naturali tum maximè re medicâ investigandi rationem, principia actionum, non ab imaginariis elementorum qualitatibus, sed ab ipsis corporibus substantiarumque partibus repetere; Quid enim aliud, qui nudis qualitatibus, qui umbris vota sua dedicant, omnemque hinc æstimant corporum naturam, quàm vanæ gloriolæ instruunt Choragium: Quid deinde Scholasticorum audacia, mollissimos formarum titulos occultasque proprietates, ignaviæ numen pro Elysiis campis ostentantium, aliud effecit, quàm ut sperata scientiarum perfectio longius discipulum falleret, præjudiciorumque ingens moles ad nova surgentes animos & certiora deterreret. Sed etiam gravius fuit, mentis hisce illecebris auctorem, invenire; hic inter Græcos Hippocrates &

Galenus non prodire tantùm ſed & vexari debuerunt, ut mirum ſit, à duobus duntaxat Græculis univerſum genus medendi accepiſſe leges, accepit tamen & hoc uſque victitavit ſucco: verum, ut ingeniorum eſſe aliquod fatum ſolet, Græcorum poſtea nonnulli pertæſi, Arabum cœperunt extollere famam, quæ Hiſpanorum prima fuit ſuperſtitio, quaſi Barbaris hoc ſuis aut majoribus debentium, quippe qui hodieque tam obſtinatè hinc petunt functionum naturalium cauſas, ut cum ex Avicennâ qualitates, Averrhoë formas, Meſue agendi vires recitaverint, deturpatas ſcil. horrido accentu Græcorum ſententias, Medicinæ ſacra pulcrè traducta exiſtiment. Et, cum Scholaſticorum hoc fuerat negotium, barbariem & quicquid erat nugarum è Phyſicis eliminare, altius contra ſerpſit contagio, hiſque auctoribus effectum eſt, ut, quæ artium eſſet liberrima Medicina, Philoſophiæ ſubjiceretur ſcenicæ imperioſiſque notionum ſuarum titulis. Quò enim ſomnia iſta? Formæ, qualitates, facultates; quas ſi ad hodiernam Criſin revoces, Scholarum frigus ſubtiliter produnt. Formæ illæ quid ſunt? imaginarium nomen, caſſum ſubſtantiâ: ſed quaſi volentes νεφέλην ἀντὶ τῆς Ἥρας, ita à corpore ſeparant qualitates, ut in intemperies nudas deſinant, id vero eſt, nugas; facultates tum demum loquuntur quando evadendi nulla ſpes eſt. Hoc apparet in iis, quæ vel inter experimenta ignorantur, at præſertim in medicorum dogmatum explicatione, ubi ſi ſenſuum manuſque artificis fidem Scholaſticorum prætuliſſent logis, ſtarent jam artis principia, haberetque in quo acquieſceret humanum genus. Sed cum his quoque notio-

notionibus Purgantium temeraverint historiam, atque, in quo optima quævis ingenia dolent, ad veterum duntaxat & inexpertorum deduxerint regulas, aliâ nobis ingrediundum viâ fuit, & cum bonâ ratione experimentisque litigandum. Nec tamen censeo, si qua sunt, ita à me excussa esse, ut ulteriori experientiæ nihil, nihil judicio relinquatur; sed hoc dico, jacta jam esse meliori trutinæ fundamenta, ostensamque methodum, quâ in naturalium maximè phænomenωn effectuumque causas adiri post-habitâ omni antiquitate possit. Cedo enim, quid ab Hippocrate Galenove in Purgantium facultate definiendâ profectum est dignum memoria? Fuitne hoc adeo grave, quòd alter analogismis frequenter indulgens Purgantium actionem cum Plantarum vegetatione, alter cum Magneticâ tractione, invitâ etiam experientiâ, contulerit? De Ruffo Ephesio aliisque nihil attinet dicere, cum ex primis illis sua compilaverint felicissimi ῥαψῳδοί: Arabes vero & Græcis debent Auctoribus sua, nisi ubi in Philosophiam abrepti longè ineptiora propinant quàm ipsi Græci; cæterum Johannes Mesue, qui, dubium est, Arabs an Hebræus extiterit, accuratè medicamentorum vires descripsit, inque facultate deducendâ ultra communem provectus sententiam Platonissat. Sed nostro quoque seculo & paulo ante multi de Purgantibus scripserunt Viri docti, sed ob argumenti difficultatem facultatibus fere intactis. Brassavolus ille, Principum Estensium delicium, absolutissimum de Purgantibus commentarium & experimentis plenum reliquit, sed in his ne facultatem quidem meminit. Longius videbatur processisse

Fallopius Mutinensis; sed Fallopii isthoc, quid aliud quàm Galeni, quàm Avicennæ recocta crambe? Thomas Erastus summi vir ingenii alia etiam in suo de Purgantium medicamentorum facultatibus libro promisit, ausúsque est primus à Galeno & Aristotele deficere, nec tamen ultimam imposuit manum. Quid ergo metuendum nobis, hallucinantibus viris tam magnis loquente ultro rei difficultate, & post rigidum examen æstuante etiam Fallopio: qui libro de Morbo Gallico, cap. 25. *Tria sunt*, inquit, *quæ valde turbant mentem meam, primum magnes, secundum medicamentum expurgans, tertium hydrargyrum, in quo observo miracula naturæ*. Tentabimus tamen, neque Purgantium modo simplicium sed & metallicorum, de quibus plerique nostrum & ipse Fallopius οὐδὲ γρῦ, atque eâdem occasione Magnetis Hydrargyrique causas, & alia caliginis damnata ab orco revocabimus, ordinem eum observaturi, quem Galenus in libro de simplicium medicamentorum facultatibus sequitur, generalibus scilicet primum expensis ad particularium descendendo historiam, actionisque explicando apparatum, ubique & experientiæ memores & præcepti Hippocratici: μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν. Ut plus tandem de illis sciri posse Fernelius intelligat, præfiscinè nimis ad occultas refugiens proprietates, omni spe inferior Philosophus. Verum cum maxima vitiorum materies è falsis hypothesibus sit nata, & plerisque etiam hodie vanæ illæ facultates, inque his Tractrix potissimum placeat, hujus in utroque Græculo vanitatem ostendere, errorisque removere nebulam necessarium duximus, quo desolata ha-

ctenus decentior prodeat nitidiorque Purgantium forma.

SECTIO PRIMA.

Caput I.

Duras esse utriusque & Hippocratis & Galeni comparationes. Succum nutritium non trahi in plantas sed pelli. Ex hypothesi eadem posse trahi ab iisdem, Magnetem à magnete, Ferrum à ferro, Galeno neganti ostenditur.

Hippocrates, ut erat seculum sine experimentis, rude atque incultum, nec suâ neque Democriteâ supellectile rerum naturæ explicandæ sufficiens, ad miserum subinde labi argumenti genus & ignavas vulgi similitudines coactus fuit, easque adeo sæpe frigidas, ut vel in unâ affectione tertioque, ut vocant, eodem convenientiam demonstrare simplicem ægrè hactenus sustinuerint jurati illi antiquitatis Patroni; ut taceam, quos in Hippocrate admirantur, analogismos omnes analogiæ numeros, plenam undique similitudinem ex Dialecticorum placitis referre debere. Sed demus utique, constare analogismi rationem, perfectam esse omnino similitudinem, num qui ab exemplo ratiocinatur, sed incerto & dubio, id vero est, principio fallaci, num sophismatis declinare calumniam & dialecticorum stigma poterit? quod ut in Hippocrate meo arbitratu prætereundum fuit, ita severè, & pro hac experimentorum maturitate graviùs, in ultroneos quosque tenebriones veritatisque feræ osores animadvertendum

dum : ſcripſerat in libro de Naturâ humanâ Præceptor, Purgantia ſuos trahere ſingula humores, plantarum inſtar debitum modo deſtinatumque ſuccum trahentium ; Hic orbis erat vertendus, ut facultatem elicerent Tractricem, & unam eandemque notionem utrique & Vegetationi plantarum & Purgationi humorum accommodarent : cumque à Platone jam olim, perpetuos eſſe in hac rerum naturâ corporum ſucceſſus imminenteſque continui impulſus, ſolide eſſet fidenterque demonſtratum, Galenus, neſcio quâ Teſiphone, exagitatus ab uno maluit Ariſtotele Tractionem, ens vix etiam notionale, ſpeciem ſine corpore, quàm à Platone manifeſtam mechanicamque rerum interſe pulſionem mutuari, inſeditque hæc adeo plerorumque animos opinio, ut neque per inſignem illum Cornelium Conſentinum, nec per tot hodie experimentorum fidem ab imaginario illo & potentiali principio retrahi mancipia potuerint; tantum fuit Tractricem, ſacram illam facultatem, tutelarem in difficultatibus ancoram, inventumque omnibus nodis gladium reliquiſſe. Imo, cum Plantarum ſecretior eſſet natura, ſuum hic quoque tractio debuit : trahi inquiunt certum deſtinatumque ſuccum pro certo cujuſvis plantæ aut genio aut conſilio, nam & hic animam colunt ; quod ut Socrati in ſcenâ etiam invidioſè impingeret Strepſiades, ordinem dictionis Socraticæ infamando ſic interpellat.

Τί φὴς, ἡ φροντὶς ἕλκει τὴν ἰκμάδ' εἰς τὰ κάρδαμα;

Sed ſi trahi humorem à certis pororum mechaniciſque oſcillis exiſtimant, eſt enim radix buccæ inſtar, oſtendant, quæſo, quæ illa trahen-

tium

tium ſors ſit, quæ figura, & ne nimium ſibi hac mechanicâ abblandiantur, explicent, quem in modum gypſea columna mille exuſta ignibus, ne animam aliquam aut pororum τάξιν ſupereſſe putent, mediis ſolidata aquis vel labro tenus, ad ſummum uſque verticem ſubjectum bibat trahatque humorem. Certe uti hic alia eſſe cauſa nequit, quàm fugientis uſque elementi in proximum quodque impetus, continuique deinde ætheris incumbens in aquam pondus; ita etiam, quod in plantis aſſurgit nutritii, non trahi ſed alieno pelli impetu urgerique credibile eſt. Hoc autem quo melius conſtet, principio notandum eſt, vulgo à Sole ineptè repeti accretionis Herbarum formam, neque enim inflat aut extendit plantarum ſubſtantiam, ſed quod Solis eſt, quodque caloris, depaſcitur humorem, reciprocoque radiorum influxu ſuccum evocat ſubſtantialem, & quod ad Solis duntaxat jubar plantarum nonnullæ erigi videantur, à diminuto per calorem ſucci gravantis pondere evenire putandum eſt; cæterum ſi turgidas alimento herbulas longis exponas ſolibus, deficere ſubſtantiam vel ipſo hoc die agnoſces, & manifeſtè de hoc Solis æſtu Apoſtolus Jacobus in Epiſtolâ, ὅτι ἐξήρανε τὸν χόρτον, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπώλετο: nimirum, cum materiæ ſubtilis motibus alimenti eliquetur humor inque aërem pellatur, neceſſario porulorum, quos ſuccus inflaverat alibilis, ſpatium detumeſcit, hiſque ſic collabentibus totius ſe contrahit circumferentia, atque è tumidâ & hyperbolicâ ſuperficie planities redditur rugoſa: quod in pinguioribus Sedi foliis aliiſque longo ordine herbis adnotavimus: ſed quia laxè tantum oſcula

ista connivent, novo deinde pulsu in vacuos fere poros, materiæque solaris perpluvio concinnatos, recipi ex facili succedens alimentum poterit; at quo, inquis, pulsu? cum collapsi jam pori respuere videantur ultrò succedentes minutias, tantum abest, ut ex mechanicâ dispositione trahant. Igitur & hoc considerandum, cum matutini tum maximè meridiani Solis calore vapores quosque & terræ superficialis succos, tam ad telluris profundum quàm aëris summum diffundi, saltem à centro ad circumferentiam, distinente utrorumque congressum solari materiâ : sed etiam hunc materiæ subtilis impetum destituente occaso sole, & illum, qui ab ipso dependebat, expansionis conatum defectum iri, rediturum itaque esse ad sphæram suam coactum intra terræ viscera succum, quodque in aëre erat de die & à sole excocti roris, noctu deciduum in laxos irrupturum sitientesque à pridiano sole porulos, non tractu, sed fœcundo undique impressu; ne mirum amplius cuiquam videatur, plantarum tantùm aut maximam partem nocturna esse incrementa, & si qua de die fiat aut in hypogæis nutritio, eam pluvio fere nebulosoque in cœlo fieri; cum dilapso ad terræ centrum calore desuperque urgente, aqueus in hanc sphæram intruditur alibilisque succus, qui admisso denuo Sole intra terræ repulsus fundum supremumque æthera ad nocturnam rursum alituram excoquitur, nocte sic vicissitudinem referente. Quod ut melius tibi imagineris, experimento sensum confirmabo: Respice modò vitreum istum globum ultimis depictum chartis, Tab. I. Fig. I. lit. A. respice duo intus spatia, aquæ alterum, lit. B. alterum

rum aëris, C. utraque hæc elementa ante Solis caloriſve admiſſionem, ſalvo aëris cum interni tum externi æquilibrio, medium dividebant globum in D, ſed poſtquam ab imminente ſive Sole ſeu calore ſupremum aëris interni ſpatium intumuit, ejuſdemque elater externi obnitentiſque propter tubulum E, aëris conatu factus eſt gravior, depreſſus neceſſario aquæ horizon F, tantum per tubulum iſtum humoris evomere debuit, quantum ad pondus aëris cum interni tum externi denuo librandum ſatis erat. Jam ſi aut manum retrahas aut Solis calorem, vel frigidâ vitri abluas ſuperficiem, ut in G alterâ figurâ contingit, ad externi rurſum aëris contubernium fugiens ſubtilis aura, ſpatium intus relinquit contractius, quare, aucto jam & ſubtilibus effluviis & liquoris parte externi aëris elatere, uſque & uſque imminens tubulo ſive liquor ſeu aër in H. ad recuperandum horizontem D. aut aquæ compenſandum jacturam per medias fere aquas ad ſphæram ſuam ebullit. Adeo ut in hunc etiam modum plantas capere incrementa exiſtimem; in bulborum, in radicum fibras ceu totidem tubulos, remoto calore ſphæram repetens ſuccus impellitur alibilis; ſic marcida nimio Sole folia aquæ novâ adſpergine aut in denſiore umbrâ reviviſcunt, fugatâ ſcilicet ſubtili aurâ aut ſaltem motu deſtitutâ ſolari. Quod cum eleganter Hippocrates expreſſerit in lib. de Naturâ pueri τῷ ἑλκύειν, feſtivo ſane & ad rem accommodato verbo, miror cur ex libro de Natura humana Tractricem maluerint, quàm hic loci motricem interpretari otioſi quique Philoſophi, & cum κατὰ φαντασίαν & vulgi ſenſum Hippocratem ſæpe locutum

cutum eſſe ſciant, hic ſeriò velint & ſubtiliter diſputaſſe. Sed non decuit, ut in principii impingerent petitionem Medici, & à Plantarum vegetatione Tractionem deducerent, quam nec ipſæ quidem haberent. Galenus itaque aliud quærens tractioni præſidium, perque rerum naturam circumferens oculos, ut eſſet, quo credulorum perſtringeret animos, effictâ ex ingenio ſubſtantiarum ſimilitudine, in Magnete reperit, quo cauſam probaret, ineptæque ſimilitudinis adſtrueret vota. Hic demum ſuam coluere ambitioſeque etiamnum tenent Tractricem ex antiquitatis quâdam veneratione Galenici, hic Purgationis ajunt latere ſecreta: hæc Braſſavolum, & Fallopium religio Galeno obſtrinxerat, quorum alter partium ſe ſtudio permotum palam oſtendit, alter etiam obluctante conſcientiâ veteris magiſtri purgavit cauſam; neque enim credibile eſt, maximum Anatomicum artiſque operibus clariſſimum, tot tantaque indulgere Galeno ſuo potuiſſe, abſque illiberali antiquitatis reverentiâ fuiſſet: argumento eſt, quòd, quæ ad experientiæ normam ab ipſo examinata ſunt, pulcrè ſint & quàm verè diſputata, quæ ad Galeni auctoritatem, frivolè pleraque & falsè. Quid enim hoc? quæſo, *ſimile trahere ſimile, idem non trahere idem*; Tractionis nomen hic etiam malè allegari poſtea notabimus, ubi ad magneticam tractionem ventum erit. Sed quis in cæteris, quis in ſubſtantiarum ſimilitudine σολοικίζοντας ſuſtineat? ſimilia enim eſſe debere quæ trahunt, quæque trahuntur, quod purgatis ſanè auribus durum, noſtris etiam inſolens, neque Galeno nec Fallopio credimus juranti. Quæ ergò ſimili-

ſimilitudo eſt electrum inter & paleam, vitrum cryſtallumque inter & plumam leviſſimam? quæ vel tuo judicio trahunt trahunturque. In magnete fortè reperias, quod ferro reſpondeat, ſed quæ te ad magneticam potius, quam electricam tractionem impellat, ratio nulla eſt. Sed in ipſo magnete, quod trahit, non tam eſſe ſubſtantiæ ſimilitudinem, quam identitatem (propitiæ ſint aures Romanæ) evidens eſt: ſimile dixerit Philoſophus, cui alterum contigit idem: videndum ergò, an non identitatis ratione ad ſe mutuo adigantur corpora potius quàm ſimilitudinis: in magnete ferrea eſſe ramenta in ferro magnetica ultrò largitur Galenus: diſertè enim de med. ſimpl. fac. lib. 3. cap. 25. σιδηρίζει ἡ μαγνῆτις λίθος, καὶ ἐν τοῖς τοῦ σιδήρου μετάλλοις εὑρίσκεται. In utroque ergo cum ſit alterum idem, cum æquale particularum temperamentum, paria auræ ſubtilis effluvia, ſimilitudinis iſtius ſubſtantialis formale, non eſt cur uni magis quam alteri trahendi vim imputet Galenus, aut robore quodam magnetem muniat, ad ejus tractum obſequente imbelli metallo; quin quod petenti Galeno obnoxium ferro magnetem, permutatamque adcò trahentis ſortem, oſtendere ex facili poſſimus: in aëre ſané utraque librata & magnes & ferrum, vel in ſubere aquis commiſſa, æquis ferè paſſibus in medio eodemque puncto congrediuntur, ne alterutri trahentis nomen denegare pergat Fallopius. Magnetem aut & ferrum rectè meo judicio ſimilia dixeris; ſed actionis illius magneticæ principium οὐχ' ὅμοιον τί, ἀλλὰ τὸ αὐτό; idem vero non accidentibus, ſed numero diſtinctum, ad unam proinde eandemque actio-

nem

nem compositum, nullo trahentis tractive privilegio. Jam, si hoc ab Averrhoe petere Fallopio licuit, in verâ sive æquivocâ tractione ideo conjungi corpora, ut se mutuò conservent vel perficiant, idque in magnete constet, qui ferrum adeò corroborat & suâ impertit virtute, ut magneticos sustinere labores, ponderosique ferri, non jam similis ex Galeni mente sed ejusdem, pati contactum possit: quid medicamenta, in quibus ex eâdem causâ substantiæ similitudinem agnovit Galenus, an non & illa in humoris, cujus referunt ideam, transibunt societatem, siquidem perfectionem ambiunt aut conservationem sui similia: nam quod in eodem tertio potentius est, minoris debiliorisque virtutis augmento accedere necessariò debet: ita si Pituitosum est trahens aut purgans, in corpus admissum pituitæ sociabitur, perfectâ sic ejus aut conservatâ naturâ, quæ cum hoc augmento maximè opus habeat, prudenter ab Hippocrate dictum est, lib. 5. de morbis. ἐν παντὶ τῷ βρώματι ἐστὶ τὶ φλεγματῶδες καὶ αἱματῶδες. Sed in medicamentis, in Cnico & Cocco cnidio, pituitosum esse, quod pituitam petat corporeque expurget, id verò imprudenter à Galeno & frigidè satis; & licet Fallopius speciosè hoc excusatum eat, non habuit tamen, quo hunc locum obduceret. Clarè nimis & in os tuum Fallopi, lib. 4. de med. simpl. facult. cap. 25. ἐπεὶ τοίνυν τὸ καθαιρόμενον ἐστὶ φλέγμα, πάντως δήπου καὶ τὸ ἕλκον ἀνάγκη φλεγματῶδες ὑπάρχειν. φλεγματῶδες δ' εἶπον χρῆναι ὑπάρχειν τὸ ἕλκον, οὐκ ἀντικρὺς, φλέγμα. Sed age, si pituitosum inest medicamentis, aut potentiâ inest vel actu: si potentiâ, jam eo modo inest, quo in alimentis dicebat Hippo-

cra-

crates, neque eſt, ut pituitam trahi potius, quàm conſervari aut perfici credamus, Averrhoe & Serapione rem non diffitentibus; ſin actu, jam ad oculum excutiatur humor, nobiſque blennam emungat Galenus. Quis autem non videt, & ſic magnam pituitæ acceſſionem futuram eſſe, tractionemque, ſi ulla eſt, à pituitâ melius quàm pituitoſo profecturam, ſiquidem in eodem tertio potentior eſt. Sed hic medicorum aliqui, non jam pro Galeno ſuo, τῷ pituitoſo, quod eſt in medicamine, auctam in corpore pituitam gravari naturam, ideòque dejicere, alii, non pituitoſum eſſe quod trahat, nunc quoque contra Galenum, ſed cui ſe jungat tractionis illius aut purgationis principium, manifeſtè volunt. At quod in Cnico pituitoſum eſſe Galenus putabat, oleoſum eſt & pingue, cogiturque nonnullis Italiæ locis in Emulſionem; ſic itaque bili melius reſpondeat, ſi ſimilitudinis aliqua eſt ratio: Pſyllium contrà bili conſecratum, mucaginem trahit lentam, pituitæ ſimilem: rurſum, Euphorbium, Thapſia, Elaterium, mera caloris incentiva, nihil premunt mucoſi, detrahunt tamen pituitam ante alia mucoſiora: ut, ſi à proportione medicamenti denominanda vis foret, jam non in ſimilitudine, ſed diverſitate Purgationis ponenda forma videretur. Sed aliud fuit, quod impediret, ne pituita, utut potentior, pituitam traheret: *idem*, inquit Galenus, *non trahit idem*. Fallitur, eoque magis Fallopius devotum caput: nam & magnes trahit magnetem, quod ut à Græcis reſcire potuit, ludibrium tamen Plinio maluit, is lib. 36. cap. 16. *Magnetis Æthiopici argumentum eſt, ſi alium quoque magne-*

tem ad ſe trahit. Sed ferrum trahi à ferro, in quo tantum ſe vidiſſe Galenus exiſtimabat; convicit dudum Cardanus; verum huic ſe oppoſuit Fallopius, ferroque particulas hærere magneticas, quæ ferrum trahant, putavit, manuum quippe tractu vim illam ferro abſtergeri. Atque Fallopi, non magnetem deterſit tua manus, ſed ferri obſervavit poros tenax ſaliva, plenamque inhibuit effluviorum velificationem. Quid igitur magnes, inquis, contulit ferro ſuo trahenti? non partes, ſed effluviorum particularumque ſtriatarum æqualem motum. Ignavum per ſe ferrum excitat magnes, incertoſque auræ ſubtilis motus rectâ effluviorum ſuorum incidentiâ, ut ſic loquar, temperando, in ſuam vertit naturam eoſdemque agendi conatus. Itaque hic ferri quidam μεταμόρφωσιν magneticumque genium ſuſpicati ſunt, quaſi ſalvâ iſtâ formâ nullum jus ferro in ferrum eſſe poſſit. Sed Arimnum compello in Italiâ; hic Crux oſtentatur in ſummâ turre ferrea, ſine ullo magnete potentiſſimâ & pluſquam magneticâ tractione celebris. Tibi verò Fallopi Cæſaris Moderati ferrum apud Aldrovandum, tui etiam temporis Philoſophum, ſatisfacere debuit, ut ſcias & ferrum pati magneticos manes, non formâ, ſed particularum duntaxat pervolantium mutato temperamento : ut idem poſſe trahere idem, & tibi & tuo tandem Galeno conſtare poſſit. Sed aliud hic volvimus, ipſos ſæpè humores alvum ducere, eoſdemque detrahere ſuccos : de Felle taurino vulgatum eſt, eâque de cauſâ in Arthanitæ unguentum recipitur. De Felle Teſtitudinum Plinius lib. 32. Quis verò etiam dubitat, copioſam blennam

capite

capite in alvum ruentem, ſeroſas gignere mucoſaſque diarrhœas; hic tamen non ſimile ſit, ſed idem, vel tuâ confeſſione.

CAP. II.

Purgantibus nec cum Magnete quicquam, nec Electro eſſe commune. In hiſce materiam quandam æthereami; in iſtis ſolidam eſſe ſubſtantiam in cauſâ. Plato ſerò latinè cognitus.

CUm ad exemplum magneticæ electricæque tractionis Purgantium hactenùs excuſſa ſit hiſtoria, & inextricabilibus referta erroribus, evitare errorum illecebram, Magnetem, rigidæque ſubjectum quæſtioni ad metalla, ad Plutonia inde regna damnare conſultum duxi, ne Philoſophorum ampliùs noſtramque mentem exerceat, ridiculiſque adeò paralogiſmis offuſcet lapis. Superſtitioni proximum eſt, certè infra dignitatem Doctoris, extra omnem ingenii captum proſcribere, & ceu myſtica, ceu divina celebrare, ad quæ mediocria hodie ingenia penetrant: magneticos tamen effectus, Rhabarbari, Agaricique naturam, ferri in Struthiocameli ventre digeſtionem, *æque occulta eſſe atque ipſam divinitatis eſſentiam*, ipſe ſibi Fernelius excidere paſſus eſt. Cum itaque magnetis jam eſſe manifeſtam naturam Gilbertus dudum & Cabeus, tum vero etiam Magnus ille Carteſius, ultimúmque Kircherus oſtenderint, cur non & Purgantia in lucem emergere eodem neglecta fato patiamur? nec dubito, ſi ea eſſet invicem ratio, quam Græculi delirantes finxerunt, quin ſponte ſecre-

torum

torum janua pateret, magnetiſque fulgore purgantium diſſiparetur caligo; ſed longè in utroque aliud & diſpar congreſſus. Quod ut intelligatur, expendenda utrinque natura erit, atque inter ſe conferenda. Primò igitur magnetem totâ ſubſtantiâ agere in Scholis vulgatiſſimum eſt ſed quid ſit tota ſubſtantia, tam eſt ignotum, quam quod ignotiſſimum; hic enim deſinuut ceu in ignorantiæ aſylum. Sed ne omnes hos terminos tanto conquiſitos Scholarum ſtudio apud nos eviléſcere ſinamus, videbimus, quo interim modo tota illa ſubſtantia intelligi, noſtriſque hodie rebus accommodari poſſit. Totâ autem ſubſtantiâ tum demum agere videntur corpora, quando ea eſt minimorum ſubſtantialium inter ſe τάξις, ea elementorum omnium ad determinatam actionem neceſſitas, ut vel interrupto minutiarum ordine, vel uno elementorum deficiente, ſubjectum continuò corpus exſpectata actio deſtituat: ipſamque pororum hic minutiarumve contorſionem in causâ eſſe; hinc conſtare arbitror, quod magnes, ſive rubigine exeſus, ſeu longo ignium verbere traductus, ſive etiam à ſpiritu acido arroſus, ubique verò in Crocum Martio illi non diſſimilem mutatus, omnem trahendi vim deponat; &, ſi non depoſuerit, priſtinæ etiam aliquid formæ diſpoſitioniſve trahat magneticæ. Si quid igitur movere magnes dicitur, totâ movet ſubſtantiâ, certâque porulorum conſtitutione: hi enim ſunt, hi, qui auræ ſubtilis temperant effluvia, inque vicinum inſinuant ferrum; nam, ne corporis ſui exiſtimemus emittere ramenta, nihil perdit ſubſtantiæ, nihil virium, vel millies exercitus: ignis autem & rubigo cum in ſolidum agant,

inque-

inque ſubſtantiam, porulorum auræ perpluvium temperantium hiatus aut diſtorquent, aut laxius reſerant; poris verò ſic deformatis aut concidentibus ætheris illapſum interverti neceſſe eſt. At, ſi porulorum illa contorſio ſuo orbare magnetem genio poteſt, cur in pulverem piſtillo confractus, figurâque adeò omni mutatâ, ferrum ambiat, atque in emplaſtro vel in diſtans evocet? At vero in minimis iſtis & mixti ineſt forma, totiuſque ſubſtantiæ compendium; partes enim ſunt totius non elementa, elementa demum ignis diſtrahit aut Chemicorum extractio, quò ſæviorem hanc torturam credas: piſtillo verò ſuperficies tantum immutantur totius, moduſque quantitativus, ut Scholæ loquuntur, non interioris iſtius, aut actualis formæ; ut accidens eſſe continuitatis, non ſubſtantiæ appareat: equidem in ſingulis pulveris tui momentis omnia erunt eademque totius principia, quotque grana, totidem etiam parvuli magnetes, unius matris ſoboles. Utut tamen hoc ſit, non eſt ideo exiſtimandum, tantam eſſe contriti vim, quanta eſt ſolidi & integri: nam cum axes omnium ejus particularum in natalibus ſuis certam acceperint definitamque figuram, piſtillo diſruptâ continuitate, diſperſiſque adeò axibus magneticis, aliis hùc atque illùc proſpicientibus, ſanè tum debilem fore tum inæqualem materiæ motum neceſſe eſt: pulverem autem, quò tenuior fuerit, magis & ſic à juſto declinaturum eſſe minutiarum ordine, minuſque habiturum virium. Quò collineaſſe Eraſtus videtur, quando audacter, libello de Purg. med. facultatibus: *Notum eſt*, inquit, *triti magnetis*

pulverem ferrum non attrahere. Nihil hic igitur à magnete diſcedit ſubſtantiæ, ſed alienæ conſtat perpluentiſque auræ moderatio : ubi contrà in Purgantibus, non æthera eſſe, ſed ſolidas deficientiſque corporis minutias, ſolidè oſtenderemus, niſi electricam hic quidam tractionem magneticæ præpoſuiſſent, majoremque hinc lucem auſi eſſent fœnerari. Itaque & in hoc caſu, ſui generis pulſionem eſſe, ſemel decernimus Platonis dudum victi teſtimonio, quem niſi ſerò nimis & à Beſſarionis tantùm tempore Latinum vidiſſent Scholæ, ventum jamtum erat ad παλινωδίαν, tractionemque expulerat pulſio. Accipiant ergò alieno ore loquentem noſtrum Platonem. *Eadem eſt*, inquit in Timæo, *ratio de admirabili illo electri attractu Herculeorumque lapidum : horum enim omnium nulla ſanè attractio unquam eſt, ſed, cum vacuum nullum eſt, & hæc ſe mutuò circumpellunt, concretaque & diſcreta in ſuam ſingula ſedem tranſeuntia migrant.* Sed ut omnem exſcindamus falſæ opinionis peſtem, quæſo, ne te unicum moretur Electrum ; cum pleræque hoc faciant gemmæ viliſſimumque ipſum vitrum, ſed & Laccarum reſinæ : quæſo, ne te uni paleæ alliget ſupercilium aut feſtucæ, cum plumam & læviſſima quæque pelliciant, ſed niſi proxima, atque intra aëris denſati ſphæram. Notandum verò eſt, Electricum hunc multorum corporum effectum ſereno potiſſimum cœlo procedere, utpote copioſo tum regnante in hac Atmoſphærâ æthere ; debere etiam attritu ipſa corpora calefieri, convocante ſubtilem materiam motu ; colligi autem propter attritum corpus levia quæque neceſſe eſt, quod,

ſive

ſive poros ejuſmodi corporum ſubtilior tantum tranſmittat æther, certamque effluvio occupet ſphæram, ſive motu illo ſulfureas paſſim aëris particulas incendat rarefaciatque, ad ambitum protruſâ denſiori nebulâ, compactior undique aëris globus, ad caloris adeoque activitatis remiſſionem, intra ſubtilis elementi ſphæram contenta corpora, modò levia ſint, ad ipſum illud corpus turbine impellat, inſiſtenſque aliquandiu retineat; facilius autem diutiuſque & in ſuccini atque laccæ partibus illaqueet, quòd à calore tum illo ſuperficiales diſſolutæ particulæ, oleique inſtar inflexæ, levia quæque & aſpera, ut paleam, plumam, arctiùs multò intricent, congelatæque amplectantur. Sed hic, ut imaginationem juves, nihilque ſentias diverſum, ad ſecundam in extremo libro figuram invitandus es, & ſuccini manifeſtantem impotentiam, circumſtantiſque contra aëris in paleam ſuccinumque impetum. Apage ergo conceptiſſimas nugas, Scholarum Tractiones, eiſque duriores multò Analogiſmos: quid enim hic, aut in quo tertio, cum Purgantibus convenientiæ? ibi perfluens tantum circumſtanſque patitur æther; hic ſolidæ diſcedunt ſubſtantialeſque corporum partes, ut ad ſenſum quoque deciduæ ſubſtantiæ jactura pateat: at quem hic alii in metallicis ipſeque Eraſtus ſcrupulum habet, ecce Capite ſexto exemtum. Et cum magnes electrumque & cætera illa corpora, formam ſuam, ſubſtantiæque totius integritatem ad juſtam requirant actionem, neque ſolutionem admittant; purgantia contrà non agant, niſi in minutiſſimas diſperſa & maximè ſubtiles particulas, ſive extra corpus ſic

præparentur Chemicorum ſolutionibus, ſeu in ventre diſſolvantur, inque menſtruum ſalivale minutias eructent purgantes, non video, quid hinc accedere lucis purgationi poſſit. Sed eadem eſt, inquis, ubique ratio, eodem enim modo & Purgantium debellantur vires, quo magnetis illæ; ſitu certè & ſqualore ignibuſque ſuam purgantibus virtutem deperire non inficior: Rhabarbarum notum eſt ad ignem exui purgandi facultate: acido Scammonium caſtrari, Sennæque folia exoleſcere vidimus; ſed ignibus partes purgativas in fumum reſolvi corporeum, ab acido autem ſituque figuras deformari, habent enim certè & ſubſtantiæ modum corpora, ſuis ſingula oſtendemus locis. Jam ne minimi quidem elementi poſſe jacturam pati, ſalvâ ſubſtantiæ formâ, electrica corpora evidens eſt; lotionibus enim extractiſque magnetis protinus & electri deficiunt vires: ut fruſtra ſe in deſtillationibus macerent Chemicorum filii, & ab igne formarum exſpectent perfectionem, quas deſtrui, cum totius ſubſtantiæ ſint, neceſſarium eſt: quid hic oleum aliquod magnetis celebrant, & partibus & vi nudatum ſuâ? quid Cicindularum lucem, quæ à totius profluebat formâ, in liquorem coagulare & receptaculo excipere Portam adegit? Eadem eſt inſania in oleo ſuccini feſtucarum quærentium tractionem. At hic rurſum alia eſt Purgantium natura, quæ totius partem tutò amittere: in Chemicorum extractis notiſſimum eſt, ubi maximâ & ſolidiſſimâ herbarum parte damnatâ minima in menſtruum, & ne ad ſenſum quidem, diffunditur. Quàm exiguum eſt, quod ab Agarico prolicitur Sennâque purgantis; hoc

ta-

tamen, utut oculum fugiat manumque, purgationis justo defungitur munere, cæterâ parte, totius referente substantiæ formam, vacuâ. Magnes autem Electrumque vel extractum respuunt, ne oleum hic evocari posse efficax concedas: & cum destillationem quoque refugiant Purgantia, non ideò est, quòd nullam patiantur terreæ solidæque substantiæ sequestrationem; sed quod vera Purgantium forma, & ipsa ex certâ elementorum misturâ constans, clauso in vase dissipetur. Adeò ut, si qua in Purgantibus habere locum tota substantia possit, tum demum habeat, quando fæce, id verò est, maximâ substantiæ parte secretâ, reliqua principia ita in unum coivere mixtum, ut sine virium jacturâ divelli nequeant: quare sic intelligendus rastus, quando inquit. *Cum Rhabarbarum dicimus virtute à totâ substantiâ purgare, hoc indicare volumus, ipsum non caliditate aut siccitate suâ ventrem turbare, sed quia in se habet partes ex tot ac talibus particulis concretas, quæ id præstent.* Sed Arabes non contenti partium solo temperamento aut qualitatum modis, similitudinisque etiam substantialis hostes, ad cœlum evolarunt, siderumque testantes influxus, & Thessalicis ferè minis deducentes, non elementarem tantùm, sed & cœlestem voluerunt esse Purgantium formam: & quamquam dubitari non possit, quin aliquid materiæ mobilis cœlestisque diffusum per corpora solidiora meet, electricorumque effectuum maxima pars sit; est tamen, cur in Purgantibus hoc, à corpore solido ejusque accidentibus figurâ & motu, proficisci malimus, quàm subtili quadam materiâ, ut in hoc adeò Purgantium actionem à vul-

gatis istis scenicisque tractionibus differre credam.

Cap. III.

Galeni quoque non minus & hoc esse ineptum, à coloribus aliquid ad Purgantium designandam naturam deducere. Nihil hic qualitatem, nihil colores conferre, eodem siquidem coloris fuco versicolores Purgationes, à nigro Elleboro albas flavasque, à Rhabarbaro nigras duci ostenditur. Cnici seminis cortex lanæ caprinæ similis; Theocriti κνάκον. *Nigrarum dejectionum materia atramenti instar. Theriaca à chalcitide nigra.*

SEd quasi substantiæ suæ similitudinisque magneticæ tæderet Galenum, ad qualitatum quasdam similitudines, ad colores transilit, in iis esse ratus, quod Electivæ Purgationis genium ostenderet, esse in Cnico colorem, qui pituitam potius quam bilem duci ultrò persuadeat. Hoc autem in speciem duntaxat coloremque argumenti fuisse assumptum, vel ipse prodiderit, quippe qui libro quarto de medicamentorum simplicium facultatibus, à qualitatibus petitam, sapore, odore aut colore, crisin ceu mendacem exsibilat. Sed interpretes hic, rei veritate, dubium, an Galeni moti reverentiâ, ex tot, quibus hodie cumulamur, medicamentis, non cnicum tantùm sed & Scammonium, Rhabarbarumque, ipsum etiam Elleborum induxerunt, ubique reperientes, quod & bili & pituitæ, aut, si mavis, supercilio responderet. At si coloribus loquitur natura, formasque signat specificas, non ad sensus tantùm fallen-

fallendos inventa ſunt pigmenta, ſed ad uſum quoque ſanitatis veniunt, habetque ſuas λημύθυς Medicina. Ergò non impune licuit, communi omnium matri Naturæ, naſcentium variare colores, & in accidentibus ludere, quin his interioris formæ ſpeciem tribuerent Philoſophi, & à magiâ mutuato vocabulo Characteriſmum vocarent. Sed obſervent hi, naturæ dicam, an magiæ, candidati, tam multiplici colorum larvâ eundem poſſe, quàm eodem coloris fuco omnis generis & diſcolores duci humores. Rhabarbarum uſtulatum etiam flaveſcit, biliſque refert colorem, attamen nec bilem ſic nec quicquam expurgat; in vini verò liquatum ſpiritu, ſanguineo ferè colore, non bilem jam, ſed ſanguinem traheret, ſi qua eſſet colorum vis. Gummi etiam indicum cum aliqui ſoli pituitæ aut ſero deſtinaſſent; acceſſerunt animi falſæ opinionis tenaces, & ex coloris Characteriſmo bili quoque conſecrarunt; ſed in vini ſpiritu diſſolutum, cumque aquâ præcipitatum roſaceâ, in offam degenerat albam, bilemque nihilominus & ſerum expurgat, ab utriſque eodem coloris intervallo diſtinctum. In Scammonio quoque aliqui, ne temerè bilem duceret, flavedinem invenerunt, quæ hoc ſponte loqueretur. Sed quid hic torquenda fuere experimenta, Naturæque detrectanti vis inferenda? Certè aut album eſt ſcammonium aut nigrum; ut radice manat, album eſt, inſolatum aut morâ nigreſcit; ſed ipſa iterum nigredo ad aquæ miſturam excutitur, prodeunte denuò candore, manenteque etiam vi Cholagōga. In Jalappæ Elleborique reſinâ idem evenit, paremque omnia præparationis fortunam experiuntur;

tur; adeò ut lacteæ reddi possint omnes Purgantium tincturæ sine ullâ destinatæ purgationis jacturâ. Sed in Cnico quid, quæso, est, quod pituitam indicet? an cortex, quo pulpa induitur? atqui is color aqueus est, ad latera etiam luteus; quo colore cum hircini pili perstringantur, hircum suum κνάκωνα Theocritus vocavit: an verò concepta intus medulla? at verò non pituitæ est aut seri, sed bilis colore imbuta, nullâque proinde characterismi vi. Ex hac medullâ sorbitio paratur non insuavis, non tam pituitam, quàm quod seri bilisque est tenuius, detrahens; & quò minùs vehemens agnoscas medicamen, Psittacorum hæ deliciæ sunt, denominantque Insubres Galli *Papagalla*. Sed hic aliud volvunt & majoris abollæ argumentum: manifestè inquiunt eo colore imbui excrementa quo medicamen erat, vim igitur aliquam aut coloris aut cum colore conjuncti effectus esse: at bilis, cum naturâ sit flava, cur à Rhabarbaro detracta colorem medicamini debeat? aut jam ultrò in hypochondriis nigrescens, Elleboro purgata hujus referat tincturam? cum & albissimus quandoque Agaricus, ipsaque Ellebori resina in Lac præcipitata nigram dejiciant bilem; & quis credat salivali ventriculi menstruo dissoluta, in venas deinde sanguinemque, tot diversos latices proserpentia, pharmaca nihil decoloratum iri; cum Scammonium resinasque complures, vel ad aquæ macerationem, albescere viderimus: jam verò quis in crystallo martis colorem ostentet, quem in Purgationibus nigrum esse pro certo asserunt. Igitur, ut constaret, an medicamentis an verò humorum misturæ, coloris

se

ſe deberet mutatio, in Chalybe Elleboroque placuit periculum facere. Diſſolvi Vitriolum martis, ſolutioni bilem adfudi, alioſque ex ordine humores, lento deinde ſecundique gradus calori expoſui; bilis autem non nigreſcere ad calorem, ſed, quod compluribus acidis familiare eſt, in albam mutari offam cœpit; cumque tertio etiam gradu exurere conſtituiſſem, (quaſi ſine uſtione bili non conſtaret nigredo) aut idem permanſit color, aut flavæ Pictorum ochræ factus eſt ſimilior: hoc autem intereſſe, Vitrioli martis ſolutionem inter & ſpiritum Vitrioli acidum, notandum eſt, quod, quæ ibi albedinem ſuam conſervat bilis, hic vel ad Solis radios lentiſſimumve ignem, in viridem tranſeat obſcurumque colorem. Sed neque à ſalivâ nec pituitâ in ſolutionem additâ nigredo unquam emerſit, ut hoc certæ cuidam & atramentoſæ mutationi imputandum habeas. Ab Elleboro quoque nihil amplius ſperare potuimus; & num ab Antimonio aliquid accederet experturi Croci metallici vinoſam infuſionem cum bile conjunxi, expoſuique ad focum; ſed aceſcens calore phlegma, pallore flavo bilis imbuere ſuperficiem cœpit, quod cum ab acido evenerit, pro medicamenti effectu accipiendum non fuit. Verùm, ut plurium hoc eſſe ſcias certorumque humorum, accipe rurſum vitrioli martis ſolutionem, bilemque adfunde, huic deinde miſturæ liquorem aliquem ϛυπτικὸν, vitriolatæ utcunque naturæ, ſive baccarum Myrti, ſeu Balauſtiorum, ſive Gallarum ea infuſio fuerit; mutatâ continuò pelle, in nigrum degenerant aterrimumque ſuccum, &, quæ in nullo ante confluentium apparebat, poſt miſturam tamen

una omnium redditur nigredo. Quid quod Andromachi Theriaca & ipſa videtur atramentoſæ confectionis ſpecies, quippe quæ ſine Chalcitide fermentata, rubicundum ferè refert cinericiumque colorem, naturalium ſcybalorum inſtar, ſed, cum Chalcitide utut flavi aut ſummùm pallidi coloris permiſta, in nigerrimum tranſit conſtanſque Electuarium, atræ melancholici ventris ſaburræ non diſſimile. Ut autem pateat, quibus in particulis atramenti quærenda ſit materia, ſciendum eſt, Gallarum infuſionem, non adſtrictionis tantum, vitriolatæque naturæ eſſe participem, ſed & ſalis alicujus vegetabilis volatici: vitrioli rurſum ſolutionem, præterquam ςυπτικῷ, etiam ſale perfundi & terrâ & metallicis ramentis: jam ſi utraque invicem committas, vitrioli ςυπτικὸν Gallarum auſtero protinus ſociatur, ſed, quem trahunt gallæ ſalem volatilem, vitrioli facilè acido per modum effervefcentiæ conjungitur; adeò ut, dimiſſæ ſic à vitrioli complexu & terreæ & metallicæ particulæ, præcipitentur, &, dum liquoris porulis ſolidæ inerrant, immiſſi luminis radios non tam reverberent, quàm inæquali colliſu ſuffocent: utque à vitrioli potiſſimùm & metalli partibus luminis pendere φάσιν agnoſcas, vitrioli ſpiritus à Colcothare ſuo metalliciſque minutiis ſeparatus, gallarum infuſionem non vertit in atramentum, quandoquidem corpuſcula illa deficiunt, quæ lumen in ſe convertant. Non immeritò itaque quaſvis acidulas, nigram ſæpe ducentes alvum, & terreo & metallico ferri principio refertiſſimas eſſe probabile eſt, cum & ochram & metalla reſudent, &, præterquam quod violaceum ſponte aut atrum

fun-

fundant ſedimentum, ad gallarum quoque infuſionem nigreſcant. Neque aliud de fonte illo acido in Siciliâ tenendum eſt, in quem conjecti panni gallarum antè infuſione macerati ſaturatum bibunt nigerrimumque colorem, quam Vitrioli eum eſſe metallique ſolutionem: & cum martis quoque Vitriolum, à gallarum variorumque adſtringentium liquore, in atramentum convertatur, quid dubitamus à ferro eam nigredinem, ſed ad certam modo miſturam, repetere. Notandum verò, ſi à ſolo hic medicamento ejuſve Characteriſmo Purgationis naſcerentnr colores, nullas unquam purgationes ſine characteriſticâ Pharmacorum tincturâ fore. Sed, quod hic Eraſtus, quodque communis teſtatur experientia, veriſſimum eſt, ipſo ſæpe Elleboro nigro nihil aliud, quam lentam duci vitreamque pituitam, bilem, non atram ſed flavam, magno etiam ægrotantium emolumento, ne quid caſui imputes: imò hoc ipſis quoque acidulis non perpetuò evenire in ſuburbio Romano ad fontes Alexandrinos didici; nec infrequens eſt, à Spadanis Vitrioloque martis limpidas tantùm aqueaſque prodire excretiones. Itaque cum ad adſtringentium duntaxat certarumque infuſionum cum Vitriolo miſturam, atramentum confletur, quidni certam conſimilemque in humoribus qualitatem agnoſcamus, quæ medicamentorum Vitriolatum genium in atramentum præcipitet nigramque fæcem. Eſſe in corpore ςρυφνόν τι, eſſe auſterum, Pancreaticumque ſuccum, non temere ructus nidoreſque melancholicorum teſtantur; hypochondriacæ autem affectionis maximam eſſe partem auſterum, limoſamque pituitæ fæcem veri-

ſimile

ſimile eſt, adeóque ferreorum Vitriolatorumque medicaminum acceſſu, è bile, auſtero, & pituitâ, crama quoddam effici, ob terrearum fæculentiorumque partium præcipitationem, nigrum; ut mirum non ſit, ſi ita affectis acidulæ propinentur, Martiæve compoſitiones, ex humorum occaſione nigra ſecedere, fierique, ut Hippocrates alibi, θολῷ ἰκέλην ἢ κάθαρσιν; ſin ſanis aut aliâ cum valetudine conflictantibus, aquea tantum detrahi aut lutea, ſucci peccantis qualitate medicamenti vim temperante: igitur, quod Angeli Salæ Vitriolum vomitivum, nunc viſcidum candidumque phlegma, nunc viridem porraceamque bilem, tandem etiam nigram dejiciat, novum videri non debuit, cum hic auſteræ melancholicæque fæci, ibi dulci inſipidæque blennæ occurrat. Sed & ſponte, inque corporis latebris, ſine ullâ medicamenti miſturâ, gigni poſſe atramentum ſuſpicor, quando vitriolatæ terreſtriſve naturæ ſuccus, cum ventriculi inteſtinorumque miſcetur fermento, inque nigram præcipitat fæcem: quare toties nigra in infantibus prodeunt, & cum in primâ potiſſimùm ſtabulentur confiantque regione, unâ Mannâ facilè Rhabarbaroque dejiciuntur, fruſtrà hic Characterem à medicamento exſpectante Purgatione: & quam in Hypochondriis melancholici alunt atram bilem, an non falsò, quæ & à quovis medicamento, & vel à Caſſiâ prodiret nigra, medicamenti imputaretur proprietati? & quamvis in furioſo ſuo Malateſtâ Ellebori vim exaggeret Braſſavolus; juſta tamen ſuſpicio eſt, maximam jam antè melancholiæ partem in hypochondriis latuiſſe, naturali tinctam corruptoque fermento: imprimis, ſi con-

consideremus, tantillum medicamenti tot inde purgationibus tingendis ægrè suffecisse. Sed etiam in alimentis sunt, quæ colorem fæcibus impertiant nigrum, non tam qualitatis, quam substantiæ extensione: olerum pleraque in alvum redundant, signantque σκύβαλα, non Charactere, sed indigestis à coctione reliquiis: vina quoque Græca nigra & austera, quod copiosæ terræ est argumentum, maximam sui turbulentamque partem in alvum rejiciunt, spiritu tantùm, & quod erat subtilius, in venas allecto: quæ cum substantiæ ratione & quavis occasione hoc præstent, à tam exiguis medicamenti momentis, nisi post certam modificationem, exspectari non potuit: itaque & ab alimentis ipsoque potu nigra quandoque secedunt, molem tribuente substantiâ; aliquando in hiris atra gignitur fæx pro fermentorum qualitate; sed & copia subinde medicaminis nigredine infectat alvum: ut plurimùm tamen certa humorum cum Pharmacis mistura in melancholicis excrementa subducit nigra; nusquam autem, superstitiosa illa & à medicis quæsita proprietas: ut lucem hic à qualitatibus sibi promittere desinant, & formas internasque facultates ab accidentibus repetere; quod cum in coloribus aliqui effecissent, majore alii apparatu, &, quod putabant, ab Aristotele, sapores odoresque mutuati, in his quærendam esse Purgantium facultatem crediderunt: quâ autem fortunâ, videamus.

Cap.

CAP. III.

A Sapore etiam Odoreque petitam Criſin mendacem eſſe probatur. Ex Ariſtotele prodit medicamentorum δυαντιψία. *In lac ſolidæ tranſeunt purgantium particulæ, Vitriolumque martis à podice recipitur integrum. Purgationem intervertit horror febrilis, calor reſuſcitat. Pilulæ octiduum latitantes.*

NOn impune quæſiverat in Problematis Ariſtoteles, διὰ τί τὰ φάρμακα, καὶ τὰ πικρὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὰ δυσώδη, καθαίρει; quin hic Sophiſtæ qualitatem deducerent, invictamque eſſe in medicamentis amaritudinem, odoremve impudicum, Purgationis cauſam, ſeriò urgerent: ſed notandum fuerat, adjectiva hic, non relativo, ſed abſoluto ſenſu, excipienda fuiſſe, &, quò hoc pateat, commate ſecandum diſpertiendumque ſenſum; adeò ut roget Philoſophus. *Cur medicamenta purgantia, tum quæ amara ſunt ut plurimùm, & graveolentia, purgent?* quod ſi exiſtimes, Purgantium pleraque eſſe amara & fœtida, ne ſic quidem ſibi conſtet Philoſophus; nam, ultra Colocynthidis & Elaterii inſuperabile virus, vix eſt in toto purgantium ordine, cui imputes amaritudinem; quod enim in Aloë eſt amarum, non purgativum eſt, ſed Cardiacum & corroborans, ſi quid ſenſibus credimus: eluitur certè vis purgandi unâ alterâque maceratione, amaritudo autem perdurat, quam, ne purgare credas, ad ſtomachi commendavit κάκωσιν Galenus: verum & Colocynthidi vim purgandi ſubtrahi poſſe,

posse, salvâ amaritudine, aliqui contendunt: at metallica, quæ vires quàm vehementer purgando exercent, præter martis Crystallos, nullâ ejusmodi perfunduntur qualitate: cum contrà herbarum amarissimæ, Absynthium, Centaurium, laxitatem reparent ventriculi, & quod è soporifero Papavere lac stillat æque amarum, & ipsa Theriaca, Myrrhâ, Gentianâ totque amarissimis ingredientibus nota, purgationem omnem & ὑποσρηγίδωρον feliciter sistant, ne invisam Naturæ qualitatem amaritudinem existimes. Nunc Purgantia, an malè olent? quid in Colocynthide, quæso, quid in Euphorbio, aut universâ classe δυσώδης? Nam si Castorium, si Assam fœtidam, si aliud nominavero, non purgantia, sed Cerebro Ventriculoque grata, mulierum etiam delicias dixero. Rursum aliqua εὔοσμα sunt & purgant. Cassiæ pulpa non malè olet; hoc tamen odore aliqui purgantur. Iridis radix propter odores ad fucum expetitur, ducit nihilominus alvum comesta. Rosæ an non herbarum olentissimæ? Purgant verò hæ quoque ventrem, & quas Itali propter odoris gratiam *Moschette* vocant, in purgando sunt potentiores. Violarum certè acceptissimus est odor, has tamen in acetario appositas alvum ducere plus semel observavi. Aloë autem & ipsa εὐώδης καὶ μυρεψική. Quare non est, ut spirantem auram odoremque refugere ventrem credamus, &, quem aures habere nolumus, ei nasum & gulæ ingenium ultrò donemus; sed aliud quid sub his qualitatum Larvis delitescere, facile persuadeor, vel ab Aristotele monitus: nam, quod in qualitatem causam transtulerit Purgationis Medicorum vulgus, in fraudem

dem fuit Præceptoris, non qualitatem, ſed aliud quid cum qualitate, conſiderantis, τὰ γὰρ, inquit eodem problemate, ἄπεπτα εἶναι καὶ κινητικὰ μετὰ πικρότητος, φάρμακόν ἐστιν· Quaſi ſciens alia etiam eſſe amara medicamenta, quæ & temperatæ ſint diverſæque conditionis; quod ex problemate 43. ſect. I. ſatis colligitur: δύσπεπτα ſane ſunt omnis generis medicamenta, ſed purgantia etiam κινητικά. δυσπεψίαν tamen ſic non tulit Eraſtus, quin miſerè hic ſibi torquendum ſumeret Philoſophum: quare ut te reducamus in viam Eraſte, conſiderandum eſt, quæ deglutiuntur, omnia vel εὔπεπτα eſſe aut δύσπεπτα; εὔπεπτα ſunt, in quibus quod eſt utilis alibiliſque ſucci, ventriculi fermento in Chylum vertitur, id verò eſt, humorem tam tenuem, ut & lactearum ſubtiliſſimis oſculis recipi, proſerpendoque in ſanguinem, in Chymi deinde materiam tranſire poſſit. δύσπεπτα erunt alia omnia, vel quæ ob cruditatem duritiemque ventris refugiunt quæſtionem, &, cum fermenti eludant vires, pro catharmate in extremam redundant alvum; ut ſunt nuclei, oſſa, evirataque metalla, indigeſta à ventre & ſine ulla mutationis notâ, exeuntia; qualia cum eſſe Purgantia Eraſtus injuriâ voluerit, inimicum ſibi habeat Ariſtotelem, qui manifeſtè, in Problematis, medicamenta in ventriculo macerata, in venas abripi, & per corpus diffundi (διαχυθῆναι) ut in vagos paſſim humores involent, exiſtimavit. Vel certè erunt δύσπεπτα, quæ ob partium medicatarum copiam, certam duntaxat ſubeunt in ventre mutationem, non in Chylum, ſic enim alimentum forent, fermentique ſubjicerentur legibus; ſed in ſui generis

Chemi-

Chemicæque inſtar, ſolutionem, ſed medicatam, ventriſque adeò fermento potentiorem, κρατήσαντα dicebat Philoſophus; utque appareat, tot in maſsâ coctionibus, medicamentorum non retundi vires, ſed etiam vincere: Lac nutricum purgandi infici qualitate, & poſt ventriculi fermentationem ſolidas recipere (ſiquidem qualitas ſine ſubſtantiâ) non eſt, figurataſque purgantium particulas, ex effectu nobis conſtare videtur: certè, quod miraculo proximum eſt, reperiuntur, quibus Martis Vitriolum, poſt purgationem in Cryſtallum denſatum, ab alvo prodiit ſolidum, quod cum Ventriculi ſanguiniſque fermentum devicerit, utut ſolutum, defuncto in maſsâ opere, reunitis ob figuræ identitatem ſalium corpuſculis, in vivâ ſe reddidit ſolidâque Cryſtallo: nam, ſi alibi, in Cryſtalli equidem Chemicæ principiis, ὅμοιον ὁμοίῳ πελάζει, ut Platonis utar verbis. Sed neque hoc ſatis fuit δύναστικὸν εἶναι, quippe quod omnibus ſit medicamentis familiare, ſed & κινητικὸν, quod purgantibus tantùm, & ſuo in genere eſt proprium. Si quid igitur in corpore ſubeunt mutationis Purgantia, à ventris pendebit inteſtinorumque contentis; itaque hic certo ventriculi ſucco, & ſalivæ reliquiis, ceu menſtruo quodam, ſubtiles extrahuntur maximèque mobiles particulæ, ut communi deinde humorum flumine in maſſam exponantur ſanguineam; à fermento autem tantùm abeſt ut ſubigantur, ut ſuperiora eſſe ipſo corporis temperamento, & vincere debere vel Philoſophus agnoſcat; quod ſi enim vinci contingat & ſubigi Purgantium formam, potentioris præter naturam fermenti argumentum eſſe, evidens eſt: nec

nec tamen ſic in alimentum verti neceſſe eſt, quod in Cnico ſuo, Granoque Cnidio ſomniat Galenus, ſed, quod prudenter Ariſtoteles, κρατεῖσθαι, & pro fæce devictoque, non cocto, excremento in alvum rejici. Sed quid illud tam potens, quod medicamenti eludere vires poſſit? Calorem agnoſcit Fallopius: at calore dividi minutim particulas, ignaviamque purgantium excitari, frequens eſt obſervatio, &, cum ſubtile quid è purgantibus emanare, in venas diſtribuendum, etiam ipſe ſciat, mirum, quod calore potius quàm frigore, purgantium enervari vires crediderit: ſanè hyeme anni cœloque frigido duplicari medicamentorum doſes, non adeò novum hac in regione, quod partium medicatarum, effluviorumque juſtam diſſipationem, incumbens membris frigus impediat. Sed duo potiſſimùm reperi inter experimenta, quæ Purgantium vires debellent, Viſcoſa & Acida: vulgô enim Colocynthidem aliaque, & Pſyllii mucilagine & gummi Tragacanthino caſtigant; Scammonium autem Euphorbiumque ſive Citri ſeu Vitrioli acido. Cum autem ventris ubique alvei humidi ſint, mucoſiſque illabatur fontibus hauſtum medicamen; quis dubitet, vitium faciente pituitâ, ſuccoque exæſtuante in ventriculum aut inteſtina acido, etiam ſic corporis noſtri mucilagine, ceu Pſyllii viſco, involutum iri purgantia, acidique contrario acumine ipſam ſic perituram acrimoniam, adeò purgationi neceſſariam. Ab ejuſmodi igitur ſive viſcoſo ſeu acido fermento purgantium retundi vires veriſimile eſt. Hoc autem fermentum quibuſdam vel ex naturâ conſtat, (quod tunc ἰδιοσυγκρασίαν vocant) aut ex morbi diſpo-

ſitione.

ſitione. Naturâ aliqui graviſſima ferunt purgantia; ſic apud Fallopium juvenis Scammonii unciam dimidiam vorabat : & apud Reudenium Pater Seraphini ordinis, gummi Indici drachmam ſæpius & ſine noxâ ſuperavit. Ego verò etiam militem vidi Gregarium ſine ullo dolore bolum devorantem, ex Electuarii hydragogi Uncia una, Jalappæ drachmâ integrâ, Mercuriique dulcis ſeſquiſcrupulo, conflatum : ubi, licet conſuetudini etiam aliquid tribuendum videatur, potentioris fermenti vim in culpâ fuiſſe, facilè adducor ut credam. Quomodo verò & conſuetudine natura familiares ſibi reddere medicatos quoſque ſuccos queat, in celebri illo Chio Eudemo, indefeſſo Ellebori gulone oſtendit Theophraſtus lib. 9. cap. 18. Eſt quoque temperamento imputandum, quod beſtiarum nonnullæ & imprimis volucres devincere purgantia poſſint. Elleboro Coturnix paſcitur, Cnico Pſittacus; quid quod avium ventriculus lapillos metallorumque conficiat ramenta; acidiore ſcilicet fermento etiam duriſſima penetrante : Succum hic deſuper in ventriculum ſtillare acidum, rejecta ingluvie eſca facilè convincat, utpote quæ acidiſſimum ſæpe ſpiret nidorem; ut nemini videatur adeò παράδοξον, purgantium ibi digeri virulentiam poſſe, ubi lapillos & metallica ſubinde grana confici ſuſpicio eſt. Porci etiam, Antimonii ſcrupulum unum aut alterum, acidioris fermenti beneficio impunè ferunt : acidi verò hujus manifeſta indicia in ſtercore apparent porcino. Sed & à morbi natura hoc vitium fermento accidere, ut & viſcidius juſto ſit & acidius, in melancholicis notiſſimum, qui propter blen-

nam tenaciorem graviſſima ferunt Purgantia; leviora vincente muco & viſcoſis particulis impediente; imò, quod hic ego in Nobili quodam, in Devotâ virgine Fallopius vidit, aſſumtas aliquot pilulas poſt octiduum demum, alvo deceſſiſſe ſolidas, multâ comite pituitâ; quod cum ipſe in frigus viſcerum rejecerit, à calore repetere purgantium digeſtionem non debuit, vel per experimenta commonefactus. Notavi enim aliquoties in Leucophlegmaticis, purgationes ut plurimùm, aucto calore gliſcenteque febriculâ, felicius procedere; & cum nuper homini Melancholico ex tertianâ tabifica alvique obſtructione laboranti, Jalappæ pulverem diebus intermittentibus ter ex ordine dediſſem, nulla fuit detracta intra diem naturalem Purgatio; ſed poſtridie, inſultante denuo paroxyſmo, elapſoque horrore, ad coloris ſucceſſionem, validiſſimè totidem vicibus alvus; & à medicamento, moveri cœpit, abſque Jalappæ pulvere beneficium hoc non ſentiente naturâ. Quod verò etiam acidioris fermenti vitio Purgantium debellari vires, particularumque infringi acumina poſſint, ex febrium frigidarum inſultibus cognitum eſt: tum enim, eructante ſe, ſive Pancreatis ſeu Ventriculi, acido, purgantium pleraque fruſtrà propinantur, ſaltem magnam virium jacturam faciunt. Gummi gotte ante inſultantis quartanæ furias ſæpius exhibui, ſed mitior longè eſt ad Paroxyſmi ſenſum operatio, quàm alio quovis & intermittente die: utque hoc etiam à metallo exſpectes Croci metallici infuſionem, ante quartanæ impetum tantùm non porrectam, ſine ullâ mutatione in ventre conſtitiſſe memini; ſemel ejuſdem-

dem in Cretico macerationem, felici exodio, versâ facie sudores cievisse; ubi an aliud, quàm constrictarum partium frigus, quàmque exspirantis acidi vitium, sit accusandum, non video: sanè nisi devicta virtus jam esset, subeunte calore prodire denuo purgatio posset, ut ex præcedentibus patet exemplis: Nullibi autem patuit, vel coqui purgantia, aut in alibiles verti utilesque succos, quod præposterè Galenus credebat. Sed ne quis hic etiam virulentiam suspicetur; vel durissima quæque purgantia, si in manifestam non erumpunt excretionem, saltem morbificam in venis subigunt materiam, efficiuntque, ut hoc imprimis temperamento proxima reddatur purgatio tolerabilior, quò ne videatur in venum verti nocentemque succum defecta præter spem purgatio.

Cap. V.

Erasti δυσπεψία exploditur. Soliditatis aut modi quantitativi nulla ad Purgationem necessitas. Partes substantiales è Purgantibus in liquorem emittuntur. Etiam ex Antimonio, Ferro, omnibus denique metallicis. Aurum in placidissimum humorem particulas effundit. Ferrum in Struthiocameli ventre. Purgantia metallica in ventriculi menstruo.

HIc verò cristam extulit Erastus, Aristotelisque δύσπεπτον aliter excipiendum putavit, argumentis ad hoc usus quàm levibus: medicamenta, inquit, ut sunt assumpta, adeò in ventre hærere indigesta, ut nihil etiam in ventriculi liquidum effundant minutiarum, sed

totâ morentur ſubſtantiâ, vexatiſque uſque fibris frequentem alliciant Purgationis materiem. Craſſiores, deinde, Purgantium pulveres meliùs purgare quàm tenuiores, quippe abſorberi tenuiores in venas, ſicque mutatâ ſorte aut urinas excitare vel ſudores, citato hic Galeni Dioſpolitico, Rhabarbarique polline: quin & Antimonium diaphoreticum, cum Croco metallico ſubtilius ſit tenuiuſque, ideò quoque ſudores movere urinamque debuit; & cum Stibium crudum, cæteraque metallica duræ ſint incoctæque ſubſtantiæ, ac proinde nihil emittant fluidioris ſucci materiæve ſubtilis, ſolâ, inquit, Meſaraicarum vellicatione, ut ſunt ſolida & acuminata, corporis detrahere humores. Atqui Eraſte, ſi Purgantia tua dura eſſe debent & in ſolidâ ſubſtantiâ, tuæque hoc eſt δυσπεψίας formale; quid de tenuiſſimis fiet molliſſimiſque Chemicorum extractis læviſſimoque omnium oleo? Hoc certè copioſiùs aſſumtum, hiriſque vacuis fluctuans alvum movet, deceditque immutatum; utque ſalvâ iſtâ mollitie agnoſcas δύσπεπτον, in iis, quibus aut religio, aut domeſtica ratio, olei tantùm uſum indulſit; vivæ deinde olei particulæ in pannos inque lina redundant, adeò ut & colligi intemeratæ, inque olei lævorem denuò cogi poſſint. Sed quid hoc, quod aut Galeni Dioſpoliticum, aut Rhabarbari tenuior pulvis in venas erumpat moveatque Urinam? Signum eſt, quo ſubtiliora ſunt quæque, ita diſſipari citiùs ſanguiniſque evolvi circulo, & quæ in craſſioribus fragmentis latet virtus abſcondita, in tenuiore polline, ceu ſuperficiei proximam, facilius retundi. Quod tamen nihil hic ſoliditati debeatur, ipſum Rhabarbari

extra-

extractum oſtenderit, omnibus ſic ſpiculis acumineque ſolido deſtitutum; ipſo tamen pulvere & vel craſſiſſimo longè felicius expurgans. Imò, ſi ſolidarum hoc eſſe partium contendis, quæ alia cauſa eſt, quod Pharmacopœi Agaricum & Colocynthidem in decoctionibus lineâ induant perulâ, quàm ne temperatis per filorum angiportus effluviis, quidquam aut ſolidi ramenti vel fibræ tranſeat in liquorem, etiam quod laneum fallere colum poſſit; ſaccari enim ideò omnia decocta ſolent. Jam autem, ſi ſolidæ hæ tantùm aut acuminatæ figuræ ſunt partes, in pulvere propinandum eſſet, eoque ſolido, purgantia, quæ tamen nemo, vel recens in Chemiâ Tyro, extractis ſuis ſolutionibuſque præpoſuerit: quare non ineptè etiam aliqui Mechoacannam in pulvere reformidant, cum urat inteſtina. De Elleboro autem Hofmanni monitum eſt, in tenuiore polline ſæviùs purgare quàm craſſiore: ſcilicet Purgantis illa acrimonia, naturâ ἀτμώδης & in polline ſuperficialis, maſſam citiùs nervorumque pervolat principia, quàm in ſolido ignavoque ramento, inteſtinis, non tam juſtâ purgatione quàm importuna vellicatione, infeſto. Neque aliud Meſuen adegit Colocynthidem & tundere ſubtiliter & quàm ſeveriſſimè cribrare, quàm ne craſſior pulvis ventri inhærens vaſa eroderet; quod metuendum non erat, ſi craſſioris irritantiſque ramenti beneficium eſſet purgatio; neque juvenis ille apud Galenum à Scammonii ſolidiore ramento ex nothâ laborare Colicâ, ſed Diarrhœâ debuit, ſiquidem Purgationis formale irritatio videretur meſaraicarum. Aloë quoque, mitiſſimum cætera medicamen, ſæpius & inconſultò

ſultò ingeſtum, ob reſinæ lentorem mucique inteſtinalis viſcum, hiris facilè immoratur, & cum tempore tabem infert, ſi quid Hofmanno credimus. Hoc itaque exemplo deſinant à continuâ Aloës commorſicatione nonnulli in Lombardiâ delicatuli. At metallica, utrum illa quoque partium ſuarum mole inteſtinorum vellicant aut venarum fibras? Sed mirum eſt non obſervaſſe Eraſtum, in infuſiones, in ſolam aquam aut vinum, partes refundere purgativas; ubi nulla comitatur vel pulveris, aut ſolidi irritantis portio. Et licet in reſtili cadavere, figura undique & ſoliditas ſint ſalva, nihil hoc tamen magis purgat, quam quivis terræ aut boli invalidus pulvis; quæ, cum fortè eadem figurâ, ſaltem æquè incoctâ & indomitâ, conſtent; ὑπερκάθαρσιν nihilominus & quamlibet purgationem ſiſtunt. Aurum etiam, quod omnes & ignibus & corporis noſtri calore invictum clamant, neceſſariò Purgationes faceret, ſiquid hic irritatio aut δυσπεψία Eraſtea. Sic lapides, ſic ipſum quoque vitrum; quod tamen, in craſſiore negligentiuſque trito polline, non pituitam modò, ſed &, Colocynthidis inſtar, fibras & vaſa erodit. Acumina hæc ſunt, quæ nullus ferè calor aut humor, ſed unicum deterit piſtillum: hoc enim ſubtiliſſimè decuſſis angulis innoxia prodit ſphæra; non tàm infeſta, quàm, ex Arabum ſententiâ, veſicæ ſalutaris: ſi enim, ut Avenzoar præcepit, ſepties cum reſinâ Terebinthinâ exuritur, inque alcohol redigitur ſubtiliſſimum, prolecto fortè, longo illo ignium macerationiſque tædio, nitroſo ſale, calculum perhibetur frangere veſicæ. Ferrum adſtringens non video quâ duritie aut ſoliditate

differat à ſe ipſo purgante, nec dubium eſt, quin utrumque gravetur calor noſter. Antimonium fixum, propter tenuitatem ſubtilitatemque partium, dicis, in venas abripi ſudoreſque ciere: atqui & gravius & fixius eſt, præter tuam opinionem, diaphoreticum, &, ubi crudum Antimonium vel metallorum Crocus, emiſſitias in aquam jaculatur particulas, adeoque levius eſt; fixum tuum nihil in humorem eructat ſubſtantiæ, & plerunque ab alvo decedit ſolidum. Longè itaque alia in Purgantibus quærenda, & Ariſtotelis δυσπεψία, (quam ab Eraſto intortam præcedenti capite dedimus explicatam) non in ventrem modò, ſed ipſas etiam perreptans venas, trahenſque comitem ſubſtantiam; quam, licet elici poſſe ex Agarico Sennâque concedas, ex metallis poſſe negas, quòd & temperatior ſit humorum pro iſtâ duritie conditio, & corporis noſtri θερμὸν μαλθακώτερον. Sed ut tibi oſtendam, quid caloris poſſit mollities; attende, quomodo oſſibus chylum evocet canum ventriculus. Hoc clauſi Vaſis, Ventriculi, beneficium eſt, liquore abundantis & ſubtiliſſimo & ætheris pleniſſimo. Et ne tanto hic opus eſſe acido exiſtimes, Cornu Cervi duriſſimum aquâ deſtillatâ aut Fontanâ, utpote magis æthereâ, in diplomate excoctum, etiam molliſſimo igne, in gelatinam reſolvitur calore fluentem. Sed ſi acidum hic quoque neceſſarium eſſe contendis, redundat perpetuò in corpus noſtrum ex Secalino pane acidum volatile, quod non duriſſima tantùm alimenta, ſed ipſa etiam metalla, ſi non diſſolvit, at ſaltem in Tinctu am redigit potentem. Nec tamen, ut hoc fiat, inficiandum eſt acriori ſæpè fer-

mento opus esse : in Caninâ fame gravissima digerit Ventriculus, & rabida fæminarum orexis, κίσσαν Græci nominant, calcem, arenas, aliaque utcunque conficit, acidioris fermenti beneficio. Sed metalla etiam facilius humido extrahuntur quàm lapides, cum plura concurrant elementa, tum imprimis volatile, ad eorum compositionem : utque scias, non molle tantùm acidum, sed solum sæpe liquidum igne agitatum solidissimi metalli destruere corpus: ipsum aurum, Chemici ignis ludibrium, in aquam Fontanam destillatam, quò inculpatior materiæ subtilis vis sit, vel solidi auri immittere ramenta Borrhus testis est; quippe quæ in testâ, ut vocant, probatoriâ, in vivi metalli corpus reduci possint. In Narbonensi hodie Galliâ, acidiusculâ vini fæce, adjuvante fermentationem calore, Æs in æruginem, metallum in florem resolvitur. Imò Ferrum spiritu Roris sæpiuscule rigatum & Pannuceæ lanæ centonibus fotum, adeò effervescit exæstuatque, ut aquæ stygiæ non major sit molitio. Quod si ergo ab ejusmodi spiritibus, iisque mollissimis, resolvi metalla possint, quid causæ est, cur à naturali ventriculi menstruo, spiritu æthereo, vivoque, quod credunt, igne suffarcinato, tum & Pancreatis acido, &, quod amplius accedit, in foco tam calido, ne sulfuris quidem extrahi portio, aut salis evocari ramentum possit: certè illos hoc maximè impellere debuerat, qui Struthiocamelum ferri digerere ramenta ignavè crediderunt, &, ut totum hoc negotium ignorantiam oboleret, ad occultam qualitatem, formamque specificam retulerunt. Sed videamus, num, quod inter occultas qualitates Fernelius

nelius Ambianus, quodque his verbis ſupra omnem ingenii aciem extollit Eraſtus, libro de occultis Pharmac. poteſtatibus. *Verum nec fingi nec dici poſſe exiſtimo, quomodo & per quam qualitatem Struthiocamelum ferrum putemus conficere.* Videamus, an hoc adeò omnem mentis aciem effugiat. Hoc autem principiò notandum eſt; Ferri hanc confectionem, ſi quâ eſt, non ad ſuccum proliciendum alibilem, adeóque nec ad Chyloſim, tendere. Argumento eſt, quod ſi Ferri ramenta Struthioni tuo quotidie apponas, juſtaque deneges alimenta, tabeſcit continuò animal, chyli alibiliſque humoris defectu. Imò à metallicâ ſaburrâ avidius objectâ & ingeſtâ plerunque emaciari, à Beſtiario accepi; quod fortè fatum fuit Struthionis illius; Regis Mauri dono Principibus Reipublicæ noſtræ ante annos aliquot oblati; è cujus diſſecti ingluvie, ingentem metalli molem, trientes innumeros clavoſque ferreos ſecantis manus exemit; ubi credibile eſt, nimiis puerorum largitionibus obrutum ventriculi fermentum elanguiſſe: ut temperare ſibi diſcant à liberali metalli objectu Therodidaſcali, cum non ſit Chyli materies, ſed ad conficiendum exterendumque fruges auxiliaria modò manus. Secundò, non ferrum tantum, ut à Proprietate tuâ deſiſtas; ſed duriſſima quæque, arenas, lapides, terras, aliaque appetere metalla, experientiâ comprobatum eſt; tum etiam, non in Struthione tantum, ſed in qualibet volucre vorace accidere novimus, quòd ad alimentorum confectionem, præter arenas lapilloſque, etiam metalla in ſubſidium vocent excoctionis. Et ne exiſtimes aviculas adeò à metallo abhorrere:

Per-

Perdices circa Albanum invicti auri minutiis vesci unà cum arenis, testis Comes Mirandulanus, libro de auro. Sed etiam in quadrupedum genere rapacia quædam animalia metallo ventrem excercent; equidem Porci, qui nec arenam neque lutum fastidiunt, nec metallum quoque in pultę refugerent. Atqui Mures mira quâdam rodendi dulcedine inescati, nullis parcunt metallis, vel solidissimis. Plinius lib. VIII. cap. LVII. *Theophrastus auctor est, in Gyaro insulâ, cum incolas fugassent, ferrum quoque rosisse mures, id quod naturâ quâdam & ad Chalybas facere in ferrariis officinis: aurariis quidem in metallis, ideò alvos eorum excidi, semperque furtum id deprehendi, tantam esse dulcedinem furandi.* De auro à muribus arroso extant quoque Julii Obsequentis testimonia. Sed neque hominum hic alia sors est; vidi enim hic publicis nundinis durissimos vorantem lapillos audacem puerum, sine dubio, mordacioris fermenti instinctu. In mulieribus verò ordinarium est, quòd, in Picâ, fermenti invitatæ acore, arenas lapidesque sine discrimine deglutiant; & quis neget, ferri comminutum pulverem à tam acri fermento devictum iri, quem mollissimus quisque aceti spiritus aut aquæ latex in Crocum aut florem facilè resolverit: resolvi vero etiam in Cachecticarum ventre hoc ipso constat, quòd eundem planè gulâ exspirent sulfuris odorem à chalybis usu, quem martis limatura cum Vitrioli oleo effervescens fundere inter experimenta solet. Neque tamen hæc quisquam pro Chyli agnoscat, aut alimenti materiâ, sed acrioris duntaxat fermenti temperamento, adeóque medicamine. Ergò ut di-

dicam, cur Struthio cæteræque aves arenas & metalla appetant, Fermenti eſt irritantis acor, quod, glandularum iſto agmine ingluviem cingente, exſtillat, acido nidore vel ad ſenſum potens. Hoc membranarum vellicat fibras, appetitumque ad duriſſima corpora, arenas, calculos, metallique ſcobem extendit, tum, ut acidioris fermenti vis alcaliſatis corporibus melius edometur; tum, ut durioris alimenti latebræ, ut ſunt duriſſima Cerealia, ſolidioris pulveris attritu, ceu totidem dentibus aut pilis, permolantur, operam huc etiam ſuam conferente validiſſimo ventriculi toro. Cum verò in vaſtiſſimâ ave, Struthione, ſolidiſſimæ ſint denſiſſimæque ventriculi fibræ, acerrimumque fortè fermentum, quis dubitet, attritione illâ muſculoſâque ventriculi ſyſtole, colliſa ſibi ferri ramenta atteri, acidiore quoque ſucco ſuperficiem rodente, aut ſulfureas extrahente minutias, non tam alimenti, quam medicinæ cauſa, reliquâ parte, ceu invictâ, in alvum redundante, uti maxima etiam alimentorum pars ſolet. Itaque ſic digeri, ſuccique aliquid medicati metallis elici poſſe credibile eſt; cumque Chalybis pollen cum ſucceſſu fermenti hujus temperet acorem, ipſumque ventriculi humidum ſulfuream extrahat ſapam, nulla eſt ratio, quæ ab antimonio hoc fieri poſſe purgantibuſque metallis prohibeat. Parere enim & ipſa molliſſimis quibuſque menſtruis certiſſimum eſt, & vel in aquam, ſapam elargiri purgantem; ne dicam, in elementa ſua reſolvi.

CAP. VI.

Ex metallis ſenſibilem elici purgativamque ſubſtantiam ad ſenſum probatur. Metallorum corporea effluvia, ἀναθυμιάσεις apud Ariſtotelem.

OBſtrepunt hic Philoſophorum aliqui, nec metallorum ſubſtantiales partes his infuſionibus inſidere, ſed communem volunt innominatamque formam. Audio hic Libavium qualitates ingerentem nudas incomitatâ ſubſtantiâ: is è Quercetano Saturni adducit hyacinthinum vitrum, annulumque inde confectum, in infuſione vim ejus purgativam nunquam deficere, ſed perpetuam eſſe, abſumtâ in dies qualitate, ſubſtantiæ verò nullum eſſe in liquore ſenſum. Sed de Antimonii vitro, deque poculis è Regulo concinnatis eadem eſt experientia, liquorem perpetuò infici nihil diminutâ ſubſtantiâ: de Venere etiam Dygbæus, vel vicies elotam nihil amittere virium. Quin etiam Mercurius in ſolâ aquâ maceratur, piſtilloque exteritur ad Purgationem, at, quæ res penè miraculo eſt, nullâ ponderis ſubſtantiæve ſenſibilis jacturâ. Hoc omne illi in nudam qualitatem, in formam rejiciunt. Sed aliqui etiam recentiorum ſubtilem hic advocant materiam, quæ, dum certo temperamento corpora omnia pervadit, tum imprimis purgantia, eorumque moderatur formas, per corporum commeans poros ſimilem ferè inducit in menſtrua pororum diſpoſitionem, qualem effluendo perfluendoque in metallo repererat. Sed quomodo hic oſtendant, ſe figere materiam ſubtilem,

tilem, quæ omnia & potiſſimùm liquida volubili raptu permeat; quòd ſi figi oſtendant, craſſioris ilicò tenacioriſque medii ope colligari cum liquido palam eſt; hoc verò tum eſſe corpus, ne ſubſtantiam dicam, neceſſe eſt. Sic igitur alio corpore, ceu velo, materia elementaris obducta, ſe in aquæ immittit poros, fugiente cæteroquin aquæ commercium ſubtilitate. Sed ne me ſpes fruſtraretur, manifeſtique corporis colligerem notas, admovi curioſiorem manum, eliquataque metalla exegi. Libavii monito aggreſſus Saturni vitrum, deprehendi immiſſum in copioſiorem lympham, nihil ferè fundere coloris, quo ſe prodat; ſed ideone nulla ibi ſubſtantia? Ergò evaporatione detractâ menſtrui parte, dum diverſæ partes, & per aquæ latiora intervalla refractæ, coeunt, color ſe immiſſæ ſubſtantialis ſapæ liquidò oſtendere, corporiſque manifeſta incipit mollities: quod licet parum ſit, ejuſque diminutio in vitro ad lancem deprehendi nequeat, (receptis fortè in amiſſæ ſubſtantiæ poros humidi particulis, jacturamque ſic levem compenſantibus) eſſe tamen vel tantillum ſatis, quo purgatio obiri poſſit, infrà demonſtrabimus. De Vitro Antimonii nihil dico, cum & mecum Chemici ſciant, ſapam vitro extrahi comminuto per vinum Creticum, lentum, ſcilicet, viſcoſumque Antimonii ſulfur: Sed decedere quoque aliquid ſolido, exedique ad ſenſum vitri ſuperficiem, illi norunt, qui ad quotidianos uſus antimonialis vitri fragmenta circumferunt. Sanè, cum omnis Tinctura à ſulfure ſit, quid in vitris illis eſſe ruborem aliud perſuaſum eſt, quam ſulfureæ ſapæ ſparſas minutias: neque enim in vi-

tro

tro aut ſalis tantùm aut cinerum eſſe congreſſum exiſtimem, aut extremum metallorum ſupplicium, quò nihil retineant elementorum, excuſſo ſulfure & mercurio; verum crudi modò craſſiorisque ſulfuris amiſſione, purius excellentiusque metallum; quando & ad metallum reduci poſſe non inepti perhibeant Chemici, ipſeque Libavius argenti vitrum in arcanis magiſteriorum ad priſtinam revocare metalli formam doceat. At quod nihil hic de corpore ipſo deceſſiſſe repetis, falſum eſt, adeò enim cum tempore exantlari ſulfuris materia liquido poteſt, ut nihil amplius reſudet ſulfuris. Sed de ipſo Regulo certiſſimè aliqui & pondus ſervare, vel centies emiſsâ in liquorem purgatione. Quod ſi verum eſt, tenendum eſt, perpaucum id eſſe, quod exudet, poroſque vacuos aliam haurire, ſive ex aëre ſeu aquâ, materiam, damno æqualem: atqui non de nihilo eſt, antimonii Regulum vel ad manuum contrectationem ſulfur revomere faſtidioſum. Hoc autem, quantulumcunque ſit, in ſubſtantialem cogi ſapam microſcopio didici. Veneris etiam non alia eſt ratio, nam, etſi in liquore nihil ejus videatur, reſtiles ab evaporatione partes virore ſuo venereum produnt fucum, qui &, humido penitus emiſſo, in extracti momento conſpicitur, maſſa tam tenue deliquium vix ſentiente. In Mercurio autem id evaporatione deprehendi à me non potuit, potuit forſan hoc melius præcipitationis aliqua ſpecie confici. Ut manifeſtum ſit, vel cum ponderis integritate detrahi aliquid metallis poſſe, non qualitatis tantùm purgativæ, ſed ſubſtantiæ corporeæ. Quòd ſi alio argumenti genere opus eſt, quid
de

de corporibus iſtis dicendum, quibus, cum perpetuò minima corporis decedant, nihil tamen ponderis decedit. Quid non Moſchus & odorata quæque fundunt effluviorum, quæ niſi corpuſcula eſſent; ſenſuum fidem fallerent; &, quandoquidem

Tangere vel tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Quomodo non omnia ſenſuum objecta, qui uno omnes tactu perficiuntur, corporea ſint; adeóque corpora potius, quàm qualitates patibiles: Eſſe verò in metallis quoque talia effluvia continuóque ſpirare certum eſt; eſſeque ipſam illam ſubſtantiam in menſtrua propulſam, meras corporis metallici ἀπόῤῥοιας, odoriſque materiam craſſiore medio fixatam; ut artis utar termino, proclive eſt ut credam. Siquidem igitur nihil ponderis aut molis odore depereat; nihil etiam infuſione metallis deteri ſenſibile exiſtimandum eſt. At ſi experimentis opus eſt; metallorum probant effluvia ferreæ Tripodes, acidam ſpirantes auram ignibus exercitatæ. Ajunt quoque ab Argento aliquid proficiſci; quod metallum indicet: ſaltem & Nummularii apud Arrianum in Diſſert. Epict. præter alia ſenſuum indicia, καὶ τῆς ὀσφρησίας utuntur experimento ad metalli probationem. Eſtque mirabile, quod περὶ θαυμασιῶν ἀκουσμάτων Ariſtoteles refert, inter Darii pocula fuiſſe, quæ ſolo narium judicio cognoſcerentur; æneane eſſent an aurea. Sed & ipſe, libro de Senſu & Senſibili, eſſe quaſdam metallorum ἀναθυμιάσεις quàm clariſſimè diſputat, ubi tot perpetuò diffluentibus particulis, nullum licet ſubſtantiæ diſpen-

dium advertas. Non mirum itaque hæc in aërem exſpatiantia, odoris nomine, effluvia, in aquæ aut menſtrui craſſioribus poris & retineri & figi, etiam ſine notabili molis detrimento. Cogi autem in aquas odoris materiam, & quaſi corporari, odoratiſſima quæque demonſtrant; nam & Roſæ ſub aquis repoſitæ non ſpirant, refractis in craſſiore medio particulis, attamen, præterquam odoris, etiam coloris ſubſtantiæque purgativæ partem in humidum refundunt, vix ac ne vix quidem pondere totius imminuto. Sapam verò evaporatus liquor dabit, quod in cunctis vegetabilibus, ipſâque Colocynthide experimento conſtat; adeò ut parcere qualitatibus potuerit vel Galenus, vel quiſquis eſt Auctor immodeſti libri, ὅτι αἱ ποιότητες ἀσώματοι. Quòd ſi quis tamen inſtet, pondus non eſſe ſolido detractum, experimentis parum confiſus; videat, num detracto corpori corpore, cum extenſio tum pondus univerſæ molis ſalva eſſe poſſint; aut Biſciolæ ſe paſcat ſomnio fabulantis, ferri unciam unam in novem magnetis uncias additam novenis unciis nihil addere ponderis: quæ inſania fuit Jacobi Caranzæ, libro de Naturâ auri arte facti; is credit, oleum croco martis per deſtillationem elici poſſe, ſine ullo exuſti croci decremento. Sed dubitandum non eſt, quin ad obruſſam examinata experientia cum ſuo auctore fidem ſit amiſſura. Quare ut ſubſtantiale quid eſſe intelligamus, etiam in metallis, purgantium formam, juſtum eſt; ſed materia aut ſubſtantia non agit, niſi potentiâ formæ, formam igitur ubique ſimul ſubſtantiâ ſalvam eſſe.

CAP.

CAP. VII.

Non omne, quod eſt in Vegetabilibus aut Metallicis, in particulas reſolvi Purgantes, ſed in eodem ſubjecto contraria ſæpe eſſe principia, cum Adſtrictionis tum Purgationis. Iſtud, terreum eſſe plerunque aut auſterum; hoc, pingue, oleoſum, & Reſinæ ſimile aut vinorum Sapæ; ideoque non ineptè in Vegetabilibus Reſinam dici, in Metallicis Sulfur. Veram in hac Reſinâ vel Sapâ quærendam purgantium formam, nullis ferè mollioris humidi ſolutionibus edomandam.

CUm itaque ex toto compoſito tantillum Purgationi ſufficiat, mirum eſt, quod Philoſophos adeò modus ille extenſionis formæque ſubſtantialis detinuerit, ut in adunatis totius mixti principiis purgandi facultatem quærerent, ne vegetativæ quidem hic formâ exceptâ: ſed maxima jam iſtius molis pars in cadaver abit fatuamque terram, levi & minimo profecto principio, & in ſiccâ exſuccâque radice purgativa demum forma prodit, extinctâ vegetativâ: quin humidum illud, quo vel maximè vegetativa gaudet, nonnihil impedit Purgantium formam: diluit enim & diſtinet interceſſu ſuo acumina particularum purgantium, veram germanamque, ſi qua eſt, Purgantium formam, quæ, emiſſo in aërem vegetabili humido, propius ſibi agglomerantur, unitâ vi & inculpatâ fortiores: ſic enim drachma ſufficiat, cujus in liquido vix uncia ſuffecerit. Hinc accidit, quod vernantes novellæque plan-

tæ, ſalvo hic ſcilicet turgenteque vegetativæ humido, purgandi vim habeant aut nullam omnino, aut valde debilem; frequens quippe ſuccus temperat ſalinum principium atque interluit. Lactuca ſeſſilis, Cichoriumque νεόφυτον omni ferè acrimoniâ & medicatâ vi deſtituuntur; at ſeneſcente demum animamque agente herbâ, diſcuſſo humido vegetabili, ſolidiora coeunt principia, fiuntque cum ætate medicata, quæ virtus in ſecreto etiam atque inſpiſſato ſucco, formâ plantæ uſque adeò remotâ, conſervatur. Bryoniæ, herbæ purgantis, Aſparagi, id eſt, verni tenellique ſurculi, in acetario apponuntur ad nutrimentum; quia frequens vegetativæ humidum partem medicatam obtundit, cujus amiſſio adoleſcentem continuò herbam ob arctiùs coactas ſapæ minutias, & amariorem reddit & purgantiorem. Nec dubitem, quin, quod Arum Ægyptii eſculentum prædicant, noſtrates verò acerrimum experiuntur & medicatum, non tam ex loci ingenio quàm uſu populi æſtimandum ſit, vel teneriores ſibi aſparagos aut vetuſtiores, adeóque acriores ſurculos, in cibum deligentis. Quicquid autem in omnibus iſtis & cæteris medicamentis eſt facultatis purgativæ, tam tenax eſt ſuæ formæ, id eſt, acuminum ſalinorum oleoſæque ſapæ, ut, niſi longis repetitiſque macerationibus, deperdi non poſſit. Et quòd in copioſo liquido infirmior ſit illa vis, Particularum natantium diſperſarumque facit impotentia: nam ad concentrationem, aut, ſi placet, agglomerationem particularum in ſapa, invaleſcit denuo purgandi vis. Sed quòd humido molliori aut aqueo latice non penitus deleatur iſta

vir-

virtus, hinc est, quòd salvis etiam figuris angulisque in aquæ interstitiis fluctuent sustineanturque particulæ : cæterùm si humido hoc accedat, ut contrario acumine, ut in acidis evenit spiritibus, detondere Purgantium spicula aut enervare acrimoniam possit, tum & purgandi vim imminutum iri, tum formam credibile est; quod enim agit, si Scholasticos sequimur, formæ suæ ratione agit. Itaque Purgantia, aliquot aquæ macerationibus decocta, omni sensibili acumine amisso, non protinus formam suam cum corpore isthoc intimatam amisisse crediderim, cum latere eorum particulæ, aqueoque obtundi elemento possint, ex occasione rediturae : quod non advertentes Philosophi, à formis suis abrepti, in materiæ proprietatem temerè se præcipitarunt. In fructus equidem, quos facultate imbuunt purgativa Rhizotomi, nihil aliud transire potest, quàm substantia, eaque non informis, sed modificata, figurâque prædita conveniente. Neque enim fructibus aut qualitas tantùm, aut aura adspiratur insensilis, ceu Equabus Lusitanicis ventus solet, sed ipsis arborum truncis solida admoventur substantialiaque purgantia, quæ naturali deinde succi alibilis impetu detrita, & vegetativæ dissoluta humido, eadem illa vi in ramos fructumque purgandi facultatem unà cum corporis sui partibus diffundunt. Meo autem judicio, cum ad radices major sit impulsi succi impetus, hisce meliùs quàm trunco Purgantia admoveris, non improbante hoc quoque γεωπονικῶν Auctore : qui libro quarto. ὅτι τὴν συκῆν φυτεύεις, ἔμβαλλε ἐς ἄκρας τὰς ῥίζας ἐλλέβορον μέλανα κεκομμένον, ὁμοῦ τιθυμάλλῳ, καὶ ἕξεις τὰ σῦκα μαλακτικὰ

γαστρός. Sed ultrà aliqui & in animalium carnes Purgantium deducere formam agendique vim tentaverunt; credidit certè Eraſtus Scammoniato hordeo paſtas gallinas, poſt tot etiam mutationes carnem dare purgantem; Scammonii ſcilicet particulis communi ſanguinis rivo in carnium receptis fibras, formâque adeò ſubſtantiali; neque enim, utut formam hic adeſſe neget Eraſtus, effectus quiſpiam ſequitur, niſi formæ aut ſubſtantiæ dono. Muſcas Piſanas moſchatum odorem non aliunde referre obſervavit Chimentellius Bononienſis, quàm ex frequenti Jaſmini Citrique inſeſſu, odoratis florum effluviis raro corpuſculo, tanquam colo, transſudantibus, ubi fruſtra formam repudies. Quis fragrantiſſimum, ſi qua fides, Æliani Thymalum aliunde quàm à Thymi, ſuaviſſimæ herbæ, paſtu ſuum fundere Thymiama dubitet? Imò in corporis fibras penetrare poſſe Purgantium ſubſtantiam tot indomitam, cum ventris tum ſanguinis, digeſtionibus, clariſſime teſtatur nutritium lac, ſæpius medicatâ qualitate, & à Purgantis uſu, infectum. Namque, ut alvum ſuis ducant alumnis nutrices, medicamentum bibunt potentius, cujus in lac redundantes particulæ felici conjugio facilique, ob interluens humidum, temperamento in infantis abeunt venas & expurgant. Adeò ut partes iſtæ purgativæ in humore quàm latè trahi poſſunt, ſenſum quoque fugientes, ſalvâ tamen ubique formâ; niſi ubi, ad acidi occurſum obtuſis ſpiculis, obtritâque adeò formâ, nec ſenſui, nec ſuæ amplius facultati pateant: quare, ut in lac vis iſta penetret, nec in ventre eſſe acidius fermentum neque in mammis de-

bet.

bet. Sed nec dubitari poteſt, quin longâ tandem maceratione in humido etiam, ſua illis partibus excuti acumina & perire forma queat: hoc verò certo oſtendemus loco. Nunc autem corporeum iſtud quale ſit, quibuſve ex elementis conſtet, ambiguum eſt. Pluribus equidem in tam tenui mole una eſſe videbitur, & undique ſimilis ſubſtantia, ſed hoc in ſequenti deducetur Capite. Id ſaltem certum eſt, ultra purgativam ſubſtantiam, etiam aliam ſubeſſe diverſæ naturæ partem, auſteram ſcilicet adſtringentemque aut terream; duplicem adeóque formam, ſi Fallopio placet, alteram manifeſtam, alteram eductam è potentiâ materiæ. In Braſſicâ & Betâ Galenus, libro tertio de ſimpl. medic. facultatibus diverſas iſtas & ſociatas facultates agnoſcit. Eſſe in ſucco nitroſas ſalium particulas, quæ alvum emolliant, eſſe in fibroſâ ſolidâque parte terreum quid & viſcoſum, quod alvum conſtipet, argumento evincit: videturque ideò in ſuccis iſtis animam poſuiſſe purgationis Hippocrates, quando libro ſecundo de diæta, τεύτλου ὁ μὲν χυλὸς διαχωρεῖ, τὸ δὲ λάχανον ἐσθιόμενον ἵστησι. Rhabarbarum poſt purgationem, emiſſo volatili ſalinoque principio, ſiccitate ſuâ terreâ & fixâ adſtringit. Myrobalanus excuſsâ, ſive eliquatione ſeu igne, purgativâ formâ, volatili ſale, alterâ illâ & contrariâ, in ſubjecto reſtili, alvum conſtipat. Quin etiam in Scammonio, Euphorbio, Antimonio, per acida debellatis, terreum iſtud & ſolidum ventrem condenſat. Et licet ſolâ extractione metallicis eam facultatem deterere impoſſibile videatur, reſtare tamen aliquid iſtâ virtute orbum, Antimonii caput mortuum oſtenderit, quod etſi venenatam biberit auram,

purgandi nihilominus facultate caret; ſed neceſſe eſt benè ignibus ſubigatur : nam totum ferè metalli corpus, cum ſulfureum ſit, purgandi vi, & in ſingulis etiam minutiis, pollet. Alia autem eſt ratio vegetabilium, quorum, cum miſtura non ſit adeò arcta, purgativa pars ad liquoris facilè ſenſum aut ignis emanat, utpote ſolutior. Sed in vegetabilibus quoque longè minus eſſe ſubſtantiæ purgantis hinc intelligitur, quod ſalvâ etiam aut ſaltem vix mutatâ extenſionis formâ, detrahi pars purgans & Aloæ & Rhabarbaro poſſit. Hoc verò quantulumcunque, quod in humorem effunditur, Purgantis eſt ἐντελέχεια ipſaque forma. In vegetabilibus Reſinam nominant Chemici, correptâ planè ſyllabâ; ſed producendam eſſe ex Poëtico facilè flexu conſtat : quare, cum Jalappæ Scammoniique Reſinas commendant, quæſo, ne brevi accentu detonent, quod Latina ubique Poëſis produxit. Reſinæ autem nomine non ineptè vocari purgantium Extracta hinc apparet, quòd maximam partem oleoſa ſint, tædæque inſtar flammam alant : ut certum ſit ſulfuris etiam eſſe aliquas in purgatione partes, ſive ſanguinem accendant, ſeu partis ſubtilioris ſint περικάλυμμα. In metallis quoque extractiones eſſe ſulfureas ſeu reſinoſas liquidò conſtat, ſed cum metallicum ſit & ipſum ſulfur, ſulfura hæc vocant mineralium aut communi nomine extracta. Eſſe verò & hæc non alia ſulfura, &, niſi ſubſtantiæ modo, à vegetabilium reſinis diverſa, probaverint certò ſulfurum iſtorum mutationes; idem enim ſulfur mox inflammabile eruitur, mox igne, & clauſo in vaſe, diſtortis particulis ἀφλόγιστον evadit, pulveri ſimile terre-

ſtri,

ſtri, aliquando olei ludit formâ, vegetabilis in-ſtar; ſed hoc rurſum oleum cum ſanguineo ſpiritu larvam permutat. Sapam autem non immerito hic & ubique voces, quòd melleæ offæ ſpecie omnis generis contineant Elementa activa, ſicut in Vini ſapâ & Tartarus & Spiritus & Oleum à ſucci evaporatione recondi ſolent, ad aquæ diſſolutionem fermentationemque denuo prodeuntia.

Cap. VIII.

Excutiuntur Reſinæ aut Sapæ purgativæ partes. Evocatur ſpiritus per Alembicum, ſed impotens. Vapor in Clauſo vaſe ſimplex refert elementum, in aperto totius formam. Itaque hic purgat, ibi nihil efficit. Rhabarbari, Tabaci, Tartari, Spiritus, Vapor.

HOc autem, quod eſt Reſinæ aut Sapæ, ſive herbis ſeu metallis prolectum, non unum modò ſulfur eſt, licet hoc maximè ad ſenſum referat; ſed plurium ſunt plura adunata principia. Aquam autem in ſuccis plantarum purgantium, Aloës, Aſari, Sambuci, nullius eſſe ad purgationem uſus, hinc apparet, quòd evaporatâ illâ aquâ in Sapam, in Reſinam coacta multò agant potentius, impuneque ferant ſucci illius amiſſionem: neque enim ideò purgant plantarum ſucci, quòd aqueo conſtent humore, ſed quòd is humor liquata in ſe purgantium ſalia, & cum iis reſinam contineat, purgativam adeóque formam. Quare qui humidum hoc vegetabile deſtillatione extrahunt, non purgativum accipient, ſed phleg-

maticum impotentemque liquorem. At si sapæ hujus principia ulterius facessas, igneque exerceas Chemico, in sua sanè & hæc dissolvetur elementa, oleosa, spirituosa & salina, quodque certum argumentum est formæ alicujus è misto emergentis, discussâ in singulis purgandi vi: neque enim protractus spiritus, oleumve sequestratum aut sal exustus eam facultatem retinent, sed communem principii sequuntur naturam. Age ad Analysim; Injice in vas Chemicum succos, pulveres, extractaque purgantium udo macerata: Spiritum tibi dabit receptaculum, Oleique nonnihil empyreumatici; unde si purgandi exspectas facultatem, falleris: nam si aliqua inde spes adfulsisset, jam invenerant Chemistæ palati blandimenta, numeratisque pro amphorâ guttis Galenicorum eluserant ignaviam. Sed impendet hic Thomas Erastus, reumque arguit falsi. Is in suo de occultis medicamentorum Proprietatibus libro; *Sume*, inquit, *Rhabarbarum & per Chemiam aquam ex eo aut oleum elice, si libet; eandem specie purgandi virtutem in partibus arte separatis deprehendes, quam in toto expertus fueras.* Sed religio est tibi credere Eraste; absolvet me Johannes Langius, tibique officiosum mendacium impinget: ille, cum præter alia hoc etiam ad Chemicorum vertit ignominiam, quod formas rerum substantiales in suis destruant destillationibus, ita loquitur, lib. 1. Epist. medic. epist. 53 *Aqua per Alembicum de Colocynthide aut Rhabarbaro extracta, alvum subducere nequit, cum tamen illorum dilutum, in quo saltem aliquot horas macerantur, id facilè præstabit.* Atqui & tibi Langi, & nobis communis favet

expe-

experientia. Manifeſtè Johannes Meſue de Roſarum aquâ promittit, quod multùm corroboret, diluto tamen ejus infuſoque alvum laxante; & licet ipſa Roſarum aqua ſalis volatilis aromatici ſit plena, reficit nihilominus, alvumque potentiùs ipsâ infuſione adſtringit. Imò ipſis Roſarum infuſionibus purgativis detractus ſive liquor ſeu ſpiritus, monente in adverſariis Lobelio, ventrem validè cohibet, id quod multis etiam aliis evenire ſcribit. Ex Aloës etiam purgativo ſucco Tartaroque Cardiacum educit Fioravanti ſpiritumque ἀναληπτικὸν, quidquid hic Eraſtus purgationem exſpectet. Et quò melius huic dubitationi occurreremus, Rhabarbari indigenæ ſucco extorſimus deſtillatione ſpiritum, qui tamen, ut erat prolectus, nihil movit humorum. De Tartari ſpiritu, quàm à Cremoris genio ſit diverſus, etiam vulgo notum. Ex Sambuci Baccis poſt fermentationem productus ſpiritus ſudores tantum movet, non alvum. Colocynthidis autem ſive liquor ſeu oleum, divulſa vi elementa, nihil retinent facultatis purgativæ. Tabacum in pulvere & extracto vehemens eſt medicamen, ſed quando vaſi clauſo exponitur, nullum eſt elementorum, quod toti fidem ſervet: nam & ſpiritus & ſal ejus ad diaphoreſim potius quàm purgationem inclinant. Sanè Ellebori recentis radicibus evocatus liquor, non antè purgat, quàm denuo radicibus committitur, lentoremque extrahit viſcoſum, id eſt, reſinam. Hoc ajunt mixtum, magni Chemici, in volatile verti purgativumque oleum; ſed quod experientia ſine dubio redarguat: comperi enim, cum Vini ſubtiliſſimo ſpiritu aut Jalappæ reſinam vel Trochiſca-

tæ

tæ Colocynthidis conjunctas ſpecies, adeo nihil in clauſo vaſe tranſmittere particularum purgantium, ut vix ac ne vix quidem ſapor deprehendi in deſtillato ſpiritu medicatus potuerit. At vero, inquis, ſi fumus, qui medicamentis aperto igne aut liquido in aëre exhalat, expurgare alvum poteſt, cur non etiam, qui Alembico & clauſo in vaſe extrahitur, ſpiritus id facere queat? Atqui, ſi nihil aliud, hoc ſaltem oſtenderet, alium eſſe ignis in apertum vas impetum, quàm clauſum. Rhabarbarum, Myrobalanus, fumum torrendo emittunt purgativum, quem qui naribus hauſerit, purgationem vix effugiat; at deſtillati humoris longè aliam eſſe naturam vidimus. Tabaci fumantis nebula, in ventrem ſive ex induſtriâ ſeu fortè deſcendens, validiſſimè purgat; imprimis, ſi contritæ Colocynthidis acini permiſtæ tabaco fuerint, quod ludibrii genus Aſotis quibuſdam placere audio. In Spiritu autem & ſale deſtillato hoc temere exſpectes. Ut autem ſcias, plurium in hoc fumo eſſe principiorum miſturam: quod in fiſtularum cuneis reliquum eſt cineris albi, nihil præter caducas terræ particulas, totius reſoluta in fumum ſpecie, continet; quoniam æqualiter agente aperto igne, pariterque ſe evolventibus cunctis atomis, poſtquam in fixarum contubernium involarunt volatiles particulæ, eodem contextu exuuntur & ſalia & oleum. Sed in clauſo vaſe non cineres tantùm fatui, ſed & ſalis & olei permultum remanet, volatili tantùm parte in receptaculum emiſsâ. Quid vero clarius publici ignis effectum oſtentat, quàm culinaria fuligo, quæ, licet vulgo otioſa credatur, & ſale conflatur

utroque & oleo, &, quod mirum eſt in tanto ignis impetu, inflammabili, ſed etiam terrâ per vim elatâ : quod ſi cæſpitem illum, fuliginis tuæ materiam, alembico incluſeris, neque oleum nigrum nec fixum ſalem, nec terræ quidquam excipies ; ſed humidi duntaxat pauxillum, fuliginosâ infectum aurâ, & ſi quid olei eſt tenuius : eas cæſpitis reliquias è Cucurbitâ in Crucibulum transfer opertiſſimum, & igne, ut ajunt, Rotæ, quaſi extremo ſupplicio, tres dies aut æternum ure ; nunquam certè exures, aut in album cinerem faceſſet carbo, quamvis ignis tibi viſus ſit merus ; tandem conſtantiſſimo carboni, fracto luto aut leviter pertuſo, auram redde ; momento exſpirata fuligine, albi prodeunt fauſtique cineres ; ut utrumque, & aëris commeatus & ignis temperamentum, ad totius compoſiti æqualem diſſolutionem neceſſaria videantur. Solvit etiam quodammodo corpora ignis lentus, & in clauſo vaſe, ſed non penitus neque ſimul, ſed per ordinem ſucceſſionis, volatili primùm ſe efferente ſpiritu, mox oleo tenuiore, quodque eſt ejus craſſius, in cadavere relicto : deſtituente itaque oleum ſpiritu, ſpiritum rurſus oleo, principiique formam repetentibus ſingulis, una totius ex ſubſtratis ſimplicium formis enata ſive ſpecies ſeu forma prodit, ſecretaque alius ſequitur Elementa effectus : Ut mirum non ſit elementorum diſſipatione etiam Purgantibus ſuam decedere formam, utpote ex communi elementorum congreſſu ortam. Si Urinam aut Bilem, naturalia corporis purgantia, in Cucurbitam conjeceris, prodeuntes à calore ſpiritus ſudorem tantum excitabunt, proprietatiſque primæ & indiviſæ

diviſæ formam amittent diviſæ partes; quomodo enim, quæ à compoſito ſequitur actio, in ſeparatis arte principiis reperiatur? In Aromatibus autem, quorum præcipua virtus & forma ab uno pendet alteroque principio, ſeparatæ partes longè erunt ſolidis & integris potentiores. Ita Cinnamomi oleum multis paraſangis nudo antecellit aromati: ſed in hoc tamen oleo ſpiritus deliteſcit, non aromate tantùm, at ipſo quoque oleo penetrantior; ab hoc certè ſpiritu aromatum pendet τὸ εὐῶδες καὶ ἀναληπτικόν. Vidi hunc ego Mediolani ſpiritum, moderatiſſimo Lampadis calore extractum, ſine ullo ferè ſalis acumine; ſola aurâ naribus & acceptiſſimum & fugaciſſimum: Oleum verò; quod à deſtillatione reſtat, piceum eſt & inflammabile; ut, quæ in aromatibus eſt efficacia, huic ſe debeat ſpiritui æthereo. Hujus autem artificii meminiſſe videtur Cornelius Drebelius noſtras, in libro de Quintâ Eſſentiâ. Eſt ergò alius Purgantium, alius foci aperti genius; hic enim tantum abeſt, ut ſeparatim quæque principia colligas, ut contrà vel modeſtiſſimo igne in vappam abeant inutilemque terram. Nec minus notabile eſt, Acetum, Vinum, Aquam, igni aut vaſi aperto expoſita, totâ exhalare ſubſtantiâ, cum in Cucurbitis & tartarum & glebam, & alia relinquant elementa. Sed hic aurem vellit Chemiſta, jubetque metallorum ſuorum ſulfura intueri, quæ totâ fere ſubſtantiâ in clauſo vaſe aſcendunt, ſalvâ vi purgativâ. Hic itaque monendum eſt, arctiſſimam eſſe invicem elementorum metallicorum unionem, nec niſi quàm laborioſè ſeparari: nam pleraque metalli principia adeò ſunt aut ſulfuri aut

ſali

ſali volatili intimata, ut ſubvolante ad ignis ſenſum volatili, in ſublime rapiantur & reliquæ, tam ſalinæ, quam ſulfureæ particulæ; & tamen in pleriſque, ut hoc impetres, ſalibus antè aut ſpiritibus acerrimis, ut Ammoniaco, Aquâ forti, aut Sublimato, rumpenda ſunt illa conjunctionis vincula, terræque & craſſioris ſalis à volatili iſthoc, ſive ſale ſeu ſulfure, faciendum divortium. Id quod in Antimonii Veneriſque Butyro experientia adſtipulatur; nam, cum in ignis flammâ conſtantiſſimè ſuum retineant ſulfur metalla, id ipſum in clauſo vaſe ad ſalium ejuſmodi miſturam ſine ullâ quæſtione cum adunatis Salium Volatiliſque principiis refundunt, olei aut butyri ſpecie. Habet ſanè hoc quoque ipſum Sal Ammoniacum, ut, cum & ægrè flexilibus & rigidis conſtet particulis, totâ tamen ſubſtantiâ propter copioſum volatile in ſummum uſque vas ſublimetur. Quantum verò hic à volatili exſpectandum ſit, neque enim refert, Spiritum, an Salem aut Mercurium voces, ſalium oſtenderit per Argentum vivum ſublimatio. Hic enim ſolidiſſima Salis marini Vitriolique grana Hydrargyri beneficio ad modicum calorem redduntur volatica; quo ſemel excuſſo volatili, ignem etiam validum deſpiciunt natura fixa. Volatile igitur aliquod eſt in metallis, quod, Mercurii inſtar, trahat comites olei ſaliſque particulas, vegetabiliumque in hoc æmuletur ſapam, cujus tamen elementa, cum laxius unita ſint (ſolâ enim & levi fermentatione ſuis exuuntur compedibus) clauſo in vaſe ſeparatim aſcendunt, geniumque referunt unius & ſinguli principii, non mixti: ubi metallicorum contrà ſapa, ob elaboratam jun-

junctiſſimamque unionem, nullum vel in clauſo vaſe elementum præter Terram dimittat, adeóque ex miſti redundantem formâ purgationem tenaciter ſervet. Ut ambigendum non ſit, quin Siſyphi ſaxum volvant, qui à ſeparatis vegetabilium Elementis purgationem exſpectant, quæ, ſi non à totius profluebat ingenio, at ſaltem à certa principiorum miſturâ.

CAP. IX.

Purgantia in Salem exuſta nihil etiam retinent facultatis purgativæ, ſed communem principii ſequuntur Naturam. Qualitatis aliqua in ſalibus varietas. Galeni locus inſignis. ἅλες καθαρτικοὶ *Dioſcoridis.* ἁλατίας *Pauli.*

DIſcutiendæ verò hic quoque ſunt nebulæ, quas Chemicorum nobis offundunt experimenta. Seriò equidem illi Purgantium exuſta ſalia, vimque in Alcali coactam plenis deblaterant buccis, Ellebori ſubinde & Gratiolæ commendantes ſalia. At cum totius hoc eſſe compoſiti aut ſaltem potiſſimæ partis beneficium conſtare poſſit, cumque ſimplex à concrematione ſal ſimplicis debeat elementi naturam ſequi, non video, cur ab hiſce magis quàm omnibus perinde ſalibus deſtinata exſpectari facultas queat. Sed ut ſcias, tam laborioſos hic fuiſſe Chemicos, quàm vanos, prolectum Veratro ſalem nihil ad Purgationem amplius, quàm aut Abſynthii illum aut Tartari conducere, experimenta oſtendunt. De ſale Gratiolæ per alterius fidem certus ſum, longè eum eſſe impotentiorem compoſito. Sed è Gua-

Guajaci ligno aliqui ſe confeciſſe ajunt ſalem Purgativum, his tamen non credit Expertus ille Robertus. In ſale Viperæ etiam falli Florentinus Rhedi obſervavit, doctiſſimus Scriptor. Atque ut mihi quoque conſtaret ratio, exuſſi Sambuci virgulta, ejuſque lixivio evocatum ſalem ſudorem notavi propellere, purgare non vidi. Eadem Aſari fortuna fuit in ſale deſtituentis compoſiti naturam: adeò ut credibile ſit, quæ ab Elementorum pendet unione, facultatem in parte locum non habere: vis enim purgandi tumultuaria, miſturæ ſe debens principiorum in ſapâ, diſtractione illâ minimorum ab inteſtino deficit conatu, Elementique ſimplicis genium æmulatur. Sales ergò, ut compoſiti partes, totius relictâ naturâ certo parent temperamento; namque omnibus ſubeſt quid ignei aut acris, ſed prout puriores ſunt minuſque habent alieni ſalis, prout etiam ignis extorti flammâ, ita pro qualitatis modo alii aliis ſunt vel acerbiores aut amariores, nihil interim mutatâ communi omnium eſſentiâ. Quare, ſiqua eſt ſalium alcaliſatorum inter ſe varietas, qualitatis hoc erit accideus non formæ. Ita ſi acidi quidquam è miſto in cineres aut lixivium redundat, nitroſi oriuntur ſales; quod in cremati roboris cineribus Plinio viſum eſt, noſque in variis ſalibus guſtu exploravimus: ne ad vitrarios hic provocem, ſolus Merrettus intercedit; is in commentario ad Antonium Nerum, *Querni*, inquit, *cineres Vitrioli naturam induentes* (hoc nitroſum vocabat Plinius) *vitrum obſcurius reddunt; cineres Fraxini vel Oxyacanthi, quorum ſal ad Nitri naturam accedit, metallum reddunt candidius.* Hoc tam manifeſtum

 eſt,

eſt, ut mirer Virum longè Doctiſſimum cenſuiſſe, quodcunque in querno ſale percipitur acidi, non à compoſito ſed ab aëre veniſſe externo. Sed huc etiam pertinet graviſſimum Galeni teſtimonium, libro VIII. de ſimpl. Medicam. Facultatibus. Titulo, τέφρα. Ibi, οὐχ ἅπασα δὲ τέφρα, inquit, τὴν αὐτὴν ἀκριβῶς ἔχει κρᾶσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῆς καυθείσης ὕλης διαφορὰν ὑπαλλάττεται. Utque demonſtret cineres qualitatis ſuæ genium à miſto repetere, contra Dioſcoridem ſic tandem inſurgit. Διοσκορίδης δὲ, οὐχ οἶδ' ὅπως, συκίνην αὐτὴν ἔχειν φησὶ τὴν δύναμιν. Καίτοι γε ἡ συκίνη πάσης ἀπήλλακται τοιαύτης ποιότητος, ὅτι καὶ αὐτὸ τὸ δένδρον οὐχ, ὥσπερ δρῦς καὶ πρῖνος, καὶ κόμαρος, καὶ φηγὸς, καὶ σχῖνος, καὶ κισσὸς, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα τὴν στρυφνὴν ἐπιφαίνει ποιότητα κατ' οὐδὲν ἑαυτοῦ μέρος, ἀλλὰ ἐστὶν ὀποῦ πλῆρες ὅλον ἰσχυροῦ καὶ θερμοῦ καὶ δριμέος. Comma τῷ τοιαῦτα subjungi debuit, quippe cujus omiſſio in Bebelianâ ſenſum loci fecerat obſcuriorem, ſignificatumque τοῦ ἐπιφαίνει ad proximè præcedentia retraxerat, quod ad unam arborem Ficum referendum erat. Duplicem autem cinerum partem & Galenus agnovit, terream unam & inſipidam, lixivam alteram in aquarum inſertam poros, qualitatibus iſtis, quas diximus, variantem, τὸ αἰθαλῶδες, inquiebat, καὶ λυχνῶδες. Solidum autem ſalem inque Cryſtallum coactum non agnovit, monente id nuper Clariſſimo Borrichio. Sed oſtendit hoc quoque, ut ad rem revertar, eſſe quandam ſalium inter ſe differentiam, quòd certum habeant ſinguli figuræ aut acuminum genus, & qui hic cubus eſt, alibi in rhombum aut conum exurgat; quæ tamen acumina ignis facilè impetus in figuram deformet irregularem, & poſt varias lotiones

ipſum

ipſum ſalem in terram vertat inſipidam, ſi quid Magallotto credimus. Nunc quoque amariorem eſſe alium alio ſalem, luculentè teſtantur amariſſimis corporibus extracta lixivia, notam quandam communis qualitatis ad ſenſum circumferentia: certè, uti acidi quiddam ad adſtringentis alcali confectionem adſciſci æquum eſt, ita cum hiſce aut oleoſi aliquid, aut, quæcunque demum illa ſit, amaricantis ſubſtantiæ in tanto ignis tormento ſociari, qualitatiſque moderari ſpeciem videtur. Sic Abſynthii, Carduibenedicti, Centaurii ſales, præter acrimoniam etiam amaritudine quâdam perfunduntur, quæ compoſiti naturam certò indicet. Deinde ut acriores ſint alii aliis ſales, non ab ignium tantum pendet imperio, ſed ipſâ ſæpe miſti acrimoniâ, ut in Tithymalli & Ficus cinere comprobat Galenus. Eſtque hoc ſalis propatuli & ad guſtum manifeſti beneficium; quòd Cineres aliqui primo detonante aut altero igne, in acerrimum degenerent lixivium. Sed & olei in plantis copia hoc poteſt efficere, ut, dum flammam ad intimas trahit corporum medullas, inſectante per minima pabulum ſuum igne, innexi ſuo oleo ſales quàm ocyſſime exurantur, cineremque reddant lixivum acerrimum. Hoc in Tartaro ipſâque Vite & Herbis patet aromaticis. Et cum Nitrum etiam ſulfure conſtet copioſo, non mirum eſt, protinus hoc unâque flammâ in ſalem verti penetrantiſſimum. Quantum verò ſulfur hic tribuat aut oleum, terrea iſta facilè oſtendent, vix etiam longiſſimis ignium tædiis ad iſtam lixiviorum acrimoniam adſpirantia: ignem enim non tam alere videntur, quàm reverberare, propter intimam ſalis

cum terrâ unionem. Ejuſmodi ſunt lapis Calcarius, Conchæ, Teſtæ & alia. Cum igitur, quodcunque è miſto ſimplici accedit diviſoque elemento, vix primæ referat qualitatis genium, non eſt, ut miſti inhærere formam in ſeparato quoque principio adeóque facultatem credamus, nihil etiam proinde in Ellebori aut Gratiolæ ſale purgationis. Sed Antiquos me jubes reſpicere & ipſum Dioſcoridem, qui ſui operis libro IV. evidenter ait. Σκευάζονται δὲ καὶ ἅλες καθαρτικοί. At fugere te minimè decuit, ſales hos non ſimplices fuiſſe aut lixivos, ſed compoſitos & è multis Purgantium ſpeciebus conflatos. Eſtque hoc idem, quod ἁλατίαν Paulus vocat libro VII. non tam Salem, quàm certam pulverum Purgantium cum muriatico ſale, ſed toſto, miſturam; non itaque prolectum, ſed additamento confectum. Talem quoque veteres Θηριακὸν faciebant: ut inſaniam mirari ſatis nequeam eorum, qui verum & chemicum Viperarum Salem, nuper demum in Italiâ per Tachenium, in Galliis verò etiam per Charraſium cognitum, à Galeno repetere proque volatili & puriſſimo vendere cœperunt. Equidem ſine ſale fuiſſe Philoſophum neceſſe eſt, qui Theatri Chemici volumine primo de medicamentis Chemicis temerariè ſcripſit, ante hos mille & quingentos annos Salia Cathartica, ſcilicet igne è Purgantibus extorta, in uſu apud Græcos fuiſſe.

Cap. X.

Alius objectionis nodus dissolvitur. Ab odoribus Purgatio, ab Emplastris, Pilis, Epomphaliis. Antimonii aliorumque fumus purgans. Ubique totius Sapæ effluvia, non simplicis Elementi. In Extractis Principiorum mistura, etiam Terræ.

QUia negotiosè satis probatum est à simplici nihil separatoque Purgantium Elemento consequi virtutis purgativæ, nullusque hactenus in tam vasto experimentorum Oceano deprehensus est stillaticius Vegetabilium liquor, qui purgationis justæ impleret numeros, ad partium purgativarum in Sapâ examen transeundum nobis esset; nisi alia hic obstreperent sententiamque nostram versarent experimenta: Odores scilicet, quibus nihil esse vulgò putant simplicius. Sed in his quoque variam esse elementorum misturam resinatamque auram in culpâ ostendendum est. Experimenta equidem nihil nos sinunt dubitare, effluviorum eam vim esse, quando & apud Cardanum Fallopiumque ex solo Cochiarum odore purgabatur Ludimagister, & apud Salmuthum tertiâ observationum centuriâ, Medico Lipsiensi ad Electuariorum specierumque Purgantium confectionem Officinam ingresso, effervescentium invicem medicaminum recepta naribus aura alvum commodè detrahebat; ne dicam, compluribus hodie familiare esse, ab acceptâ ab aliis potione fastidium, & à fastidio alvum excitari. Odorem autem à vapore nihil ego differre credam,

adeóque quæ de vapore alibi dicta sunt, & huic non ineptè odoris auræ accommodari. Novi ego certum Aurifabrum, cui, quoties fumanti inhiat Antimonio, toties Purgationibus (nam ne Diarrhœam vocem, medicatus prohibet vapor) alvus solvitur. In hoc sanè fumo integra volitant sulfuris Antimoniati ramenta; nam, si in Alembico coguntur, vivum referunt verumque Antimonii sulfur, sed malè cicuratum. Aliis etiam experimento comprobatum est, tam è Graminis semine vaporantem fumum, quàm aliis maximè medicamentis, nudo podice in perforatâ sellâ acceptum alvum debilioribus detrahere: quod à certo se Amico retulisse Almacherus, medicinæ chemicæ studiosissimus ajebat. Jam quoque Erasti Medicus Sabaudus pilam manu agitabat medicatam, ignavamque aliàs alvum sic incitabat. Quid verò de Puerorum dicam ad Arthanitæ unguentum obnoxio ventre, cum & Angelis suum constet Emplastrum, quo duras moveant alvos. Sed num ideo unico tantùm & simplici conflentur elemento, quod in minutias resolvantur adeo tenues? Atqui in corpore & necesse est & accidit, ut in particulas antè abeant minutissimas vaporemque insensilem, quàm purgationis justæ impleverint numeros: sed in minimis istis natura esse tota totiusque compositi potest. Resolvuntur passim corpora, junctimque omnium principiorum emittunt partes, radente superficiem mobili aëre, imprimis, quæ spiritus ætherisve in se habent pluSculum: is enim, dum se continuò à centro explicat, juncta secum rapit arctiùs principia, idque eô magis, quò calor sive corporis seu ex-

terni

terni fluidi fuerit vehementior. Hinc etiam est, quòd ligna virgultaque longâ ætate cariosa, licet molem videantur habere substantiæ convenientem, plerisque tamen careant principiis, non volaticis tantùm, sed magna quoque fixi salis parte: quare non malè severiores monent Chemici, ad copiosum recipiendum salem lixivum, herbas ustulandas esse vivas virentesque. In Purgantibus verò eadem nos ratio delectum habere jussit; nam cum volatili turgeant & ipsa principio, cum tempore tandem tabescere pleraque & evirari necesse est. De exoletis Sennæ foliis toties dubitavi, ut semel experiunti mihi, nec in decoctum quidquam nec infusionem immiserint coloris substantiæve purgativæ. Ut in odoribus tandem vaporibusque persuasus credere habeas substantiales delitescere corporum species, totius integra compendia, raptis hinc inde laciniis & salis utriusque & spiritus & olei. In infusionibus autem hoc demonstrare frustra enitar, cum & vulgus sciat Purgantium aliqua, Aloën, Tamarindorum & Cassiæ pulpam, Mannam, totâ se substantiâ in menstruum ingerere, non refugiente quoque terræ elemento: ut ignorem cur ad simplicis potius Elementi extractionem, quàm communis formæ aut sapæ referantur & Tincturæ & alia Chemicorum Magisteria. Equidem interior elementorum inter se nexus, principiorumque facilis cum menstruo consuetudo, parem facient minimorum solutionem: in aquam salis beneficio oleosæ se inferent partes; nam per se aquæ commercium aversatur oleum: rursum in volatilem Vini Spiritum per oleum Sal insinuatur, naturâ à Spiritus unione abhor-

 rens.

rens. Solutiones ipſas excoctione blandâ aut præcipitatione in Sapam cogimus, totam totius formam, non à principiis ſed peregrino ſequeſtratam hoſpite, terrâ ſcilicet crudioreque ſale. Examina Sapam aut Reſinam : ſalis ibi manifeſta ſunt ſpicula, oleique ignis nos certiores fecit reſtiliſque lixivi ſalis. Examina deinde reſiduam à ſolutione fæcem, cunctis comperies qualitatibus acumineque privatam, aut ſi aliqua etiamnum reſtat facultas, adſtringens ea eſt; ut Myrobalani teſtantur Rhabarbarique λείψανα. Sed in Metallici Vitri Extracto negabis totius formam contineri, quoniam extremo illo ſupplicio, ultimâ metallorum morte, expulſa jam ſunt & principia quæque & volatiles minutiæ; at falli te jam dudum oſtendi, cum optimus quiſque Artifex reformare ea poſſit in ſolidum metallum, cum ſulfur extrahere & omnia rurſum, quæ à primitivo exſpectabantur metallo. Et certê, ſi fermentationis quædam eſt ſpecies purgatio, multiplicia eſſe & varia inter ſe elementa debuerunt, utpote quæ inteſtino agitata principio, pacato per ſe ſanguini motum minimorumque diviſionem incutere habeant neceſſe.

CAP. XI.

Demonſtratur Oleoſi aliquid Purgantium Sapâ contineri, etiam Metallicorum. Uſum ejus quoque eſſe aliquem in Purgatione. Oleoſa & pinguia Hippocrati πιλύχια. Balſemum Sulfuris purgans. Sal volatile Oleoſum. Sapo.

COnſtat ergo multiſque aſſertum eſt rationibus miſcellaneis perfundi diverſiſque Elementis

mentis Purgantium Sapam; eſt tamen ad acriorem nunc quoque trutinam revocanda, partiumque ſingularum excutienda nomina & uſus. De Elementorum nominibus incerti ſunt vel ipſi Chemici, cum pro ingenio eadem principia alii aliâ donent nomenclaturâ. Saltem, quodcunque in corporibus eſt unguinoſum, ſive inflammabile ſit ſive non ſit, Sulfur plurimi vocant aut Oleum; cui ſi volatile quid, ſeu mercuriale, ſicut aliqui malunt, conjungitur, Sulfur appellant Volatile: Volatile rurſum alii Spiritum vocaverint, reddideritque Peripateticus, ἀνάλογόν τὶ τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Quod acre eſt ſenſuique objicitur mordax & in humido liquatur, Salem rectè Chemicus, craſſe nimis Terram dixerit Scholaſticus; cui ſi volatile aliquid connectitur, Volatilis epitheton etiam ſali impertiunt. At cum has quoque alii nomenclaturas deſpiciant, non alligabo ipſos Chemicorum proceribus, à ſe quoque diſſentientibus: habent & ipſi cenſendi jus. Vocent igitur, quo placet, nomine, σκινδαψὸν aut βλίτυρι: ſed hoc uno mecum ipſis conveniat, eſſe in Sapâ iſtâ partes, quæ pinguedinem referant ignemque concipiant; eſſe, quæ mobilitatem fugâ igniſque quæſtione teſtentur; eſſe etiam acumina ſalis cum fugitivi tum fixi: omnia autem Purgantium effectis ſatis congrua. Verùm, ne terminorum novitate famam aucupari videamur, tritâ ibimus Chemicorum ſemitâ, oleumque aut ſulfur, hoc verò in metallis potiſſimum, pinguem inflammabilemque aut lævem iſtam in metallicis portionem nominabimus. Primò quidem, ſi Vegetabilium Purgantium extracta ad experientiam exigamus, non

dubito, quin & videnti cuique variiſque vexanti modis pinguis eſſe appareat & unguinoſa Purgantium ſapa, ſi Chemicorum aliqua eſt ratio à colore ſulfur probantium facilique inflammatione. Profectò φλογιστὸν eſſe, quod oleoſum non eſt, nequit. Jam in Rhabarbaro gluten iſthoc unguinoſum vel manuum contrectatione innoteſcit. In Jalappæ Radice gummoſique Turbith ſolidæ interludunt pinguedinis cruſtæ, ad oculum manifeſtæ. Gummi indicum quin etiam totum olei ſui copiâ ad lychnos conflagrat: idem ferè Euphorbio aliiſque evenit. Neque hoc Vegetabilium tantùm ſed & Metallorum eſt fatum; quippe quorum extracta aut flores flammam concipiunt. Hoc tamen ſulfur in ſolidum ſæpe pulverem, in liquorem aliquoties & offam faceſſit butyroſam, & pro contextus minutiarumque mutatione flammam alit aut non alit, namque & hoc ſulfuris eſt. Flores Antimonii cum certis ſalibus ſublimati, licet ſulfur undique referant, ignis tamen impetum eludunt, exporrectis per intermiſta ſalium ramenta olei tricis. Antimonium crudum totum ignibus abſumitur, ſed modeſto flammæ temperamento ſulfur iſthoc ita cicuratur, ut vehementiſſimi ignis ſit patiens, inque vitro circularem reſpuat flammam. Atqui hoc rurſum evocari inflammabile poteſt, ut pateat ſolidis illaqueatum latebris latitaſſe ſulfur. In ſalium verò ſublimatione cum Antimonio, credibile eſt acidum muriatici ſalis, ſalis metallici beneficio, ſulfuri intimè conjungi, ejuſque adeò intortâ figurâ naturam ſulfuris inflammabilitatemque opprimi. Utque à ſale imprimis metallico hujuſque cum oleo connexione hanc muta-

mutationem deducamus, persuadet, quòd sale isto per effervescentiam fixato, (sic enim vocant Chemici) olei protinus deleatur forma & inflammabilitas : & rursum, oleo ad ignem conflagrante, etiam sal, quisquis est, evaporet, cumque sale purgationis forma. Cum autem metalla dicuntur figi, non de oleo intelligendum est aut sulfure intimato, sed de sale seu rigidis istis in metallo corpusculis, ad acidi misturam, salis instar lixivi, effervescentibus. Hoc tamen effervescentiæ æstu saliumque inter se collisione, intra olei latebras copiosâ redundante materiâ subtili, pars ejus quoque accenditur inque aërem facessit; pars, post effervescentiam coactis ad se mutuò salium spiculis, inflammabilitate amissâ relinquitur, purgandi ubique facultate expugnatâ. Hoc sulfur fixum vocant in Bezoardico minerali, crediturque omnem posuisse virulentiam. Fixum verò sulfur, si ita vocandum est, à non inflammabili differt, quòd hoc in altum efferri possit, illud non possit; cum ibi volatile sit excussum, hic etiam morosissimè restet, intermistis tantùm salium particulis. Unde apparet ad Purgationem sulfura ἀφλόγιστα aliquid conferre posse, fixa verò nunquam, in totum hic oppressâ salis oleique naturâ. Sed hic notandum est, fixum dici non ex Philosophorum mente, sed Medicorum usu, fixum vocantium cicuratum pro tempore sulfur, ad aërem aut levem quamcunque mutationem ad ingenium feritatemque pristinam facilè rediens. Quare hic ligatum audire malebat, doctissimus ille & longâ peregrinatione notissimus Medicus Laurentius Fossius, delicium certè hominis; quod enim liga-

ligatum eſt, exſolvere ſe vinculo inque libertatem vindicare poteſt, ut vulgata illa faciunt Chemicorum ſulfura fixa. Itaque cum tam arctâ unione detineantur invicem ſapæ metallicæ principia, oleumque ſali inhæreat, cum eo certè ſymbolam conferet mimumque implebit purgationis: nec video cur ad Mercurium aliqui malint in metallis properare, ceu partem purgantem, quàm ſulfur, cum incertum ſit extrahi eum poſſe, & ſi extrahitur, formæ potius luſus ſit, quàm verum ſimplexque metalli principium. Quod autem ex Antimonio prodit purgantis, id certè ad oculum ſulfur eſt, & ſi hoc in Mercurium vertitur, ſcias ſulfuris eſſe perſonatam animam: neque enim variis indui larvis, quod ab igne formam accepit, res nova videri debuit. Vertumni ſunt Elementa, & naturâ æquè ac artifici manu in alienas transformantur ſpecies. Sulfur autem hoc, quod ardere ad ignem Vegetabilium Reſinæ ipſumque Gummi Indicum teſtatur, etiam volatile eſt; niſi enim eſſet, in ſublime vaſis efferri non poſſet; implicantur enim ſibi uncæ ramoſæque olei particulæ, diviſionique partium in clauſo vaſe tenacitate ſuâ obluctantur; ſed quas innexus facilè ſpiritus aut ſal volatilis impellat. Omnia proinde olea ſtillaticia ſpiritu aliquo aut ſale impulſore aſcendunt, ad cujus defectum fundo cucurbitæ pertinaciter hærent infixa: ſed ſi igne aliquando validiſſimo fixum per ſe oleum aſcendit, jam diſſolutas fuiſſe olei tricas, & ex corniculatis factas acutiores rigidioreſque exiſtimandum eſt; equidem hoc empyreuma iſtis oleis familiare & ſalina quaſi acrimonia evice-

cerit.

cerit. Jam ut & neceſſitas aliqua olei ad purgationem appareat, emollire viarum aſperitatem, mordacemque ſponte ſalis acrimoniam coërcere, ſpirituique communi connectere in ſapâ oppidò perſuaſum eſt : ſed, quod non leve eſt quoque beneficium, ejus potiſſimum niſu Volatile, quod in ſinu fovet, latiſſimè diffunditur; & cum in uno alteroque grano purgantium ſæpe Volatile in totum abeat corpus, an non hoc olei erit aut pinguedinis, cujus proprium eſſe è minimâ mole in vaſtum diffundi ſpatium, Hippocrates aureis hiſce & ſupra latinitatem efficacibus verbis libro 2. de Diætâ demonſtravit: τὰ πίονα, ait, καὶ τὰ λιπαρὰ πληρωτικά ἐστι, διότι ἐξ ὀλίγου ὄγκου πολύχοα ἐστί. Habet itaque, in quo ſe diffundat Purgantium volatile, habet in quo coërceatur; ut & hoc ſit aliquid, eſſe ceu περικάλυμμα velamentumque volatici ſpiritus. Sed quiſquis tandem ille ſit uſus olei, uſum certè eſſe aliquem oſtendit Balſamum ſulfuris Aniſatum, frequenti experimento purgativum compertum: etiam oſtendunt hoc ſales volatiles, longâ forte maceratione aut ſecretiore quadam, ſi diis placet, arte cum oleis conjuncti : ſic enim delibutos alvum citius ducere quàm puros & intemperatos Celeberrimus paſſim Sylvius teſtis eſt. Salia fixa cum pinguedine in Saponem decocta, bilis adeóque æmula, feliciùs etiam ventrem detrahunt fœceſque emolliunt, quàm nuda quæque aut ſalia aut oleum. Sed ſi ex naturali purgatione artificiales æſtimanda ſit ratio, æſtimaveritque olim Eraſtus, cur non etiam bilis exemplo, quam omnes vulgò naturalis & ſæpe morboſi eſſe fluxus cauſam agnoſcunt, oleoſo quodam & pingui involucro medica-

dicamenta induantur : at non refert, an in pulvere ficco propinentur aliove fuco : latet enim ubique pinguedo refinata, in volatile ventris humidum falis vernaculi beneficio facillimè tranfiens.

CAP. XII.

Volatile etiam aliquod in Sapâ oftenditur, ejusque ufus. Hujus fugâ Medicamenta λειποψυχήσαντα, in Hippocratis Epiftolâ ad Cratevam. Metallica purgandi vim amittunt volatili abeunte principio, aut fixato.

VOlatilis autem vel Spiritus portionem cæteris Purgantium Elementis intermiftam errare, quò vel in longum diffundi aut quàm citò medicamentum poffit, evidenter demonftrabimus. Enimvero, quòd facultas illa purgativa cum tempore & liquido in aëre exhalet, quodque metallicorum illa fulfura facilè fublimentur, an non manifeftè probat naturale volatilis principii conjugium? neque enim tenacia per fe olea aut differri longè aut in fublime poffent, nifi volatilis beneficio. Deinde quid aliud Magiftros infufione potius quam coctione tentare Purgantium latebras impulit, quam prona & fugax minutiarum levitas, facilifque in menftruum aditus : nam cum calore agitante, etiam extra menftrui aut folutionis fuperficiem, particulæ propulfentur volatiles, meliore cum ratione frigidæ committere purgantium extractionem, ftabilique potius quam bulliente liquido excipere rati funt. Quod adeò verum eft, ut fi è metallis paulò majore ebullitione vis elicia-

eliciatur purgativa, in vanum omnis & aërem abitura ſit purgatio, quemadmodum in Croci metallici coctionibus cum vino vidimus, adjuvante fixationem nonnihil acore. Imò infuſiones nec aërem quidem ferre poſſunt calidiorem, quin ſibi relictæ exhauſto volatili corrumpantur, inductâque novâ temperie aceſcant; ut in ſervatâ Sennæ infuſione notari poteſt. Quare ille Senex apud Braſſavolum, hodieque in Italiâ Pharmacopœi oleo ſuperingeſto infuſiones quaſvis & Roſarum illam ab externi fluidi vindicant injuriâ: ut mirer, quod in infuſionibus tam ſollicitos habuit, in Syrupis laxativis præteriiſſe; nam & ipſorum vires cum tempore tabeſcere Trincavellius obſervavit apud Rhodium. Hic itaque monendi etiam noſtri ſunt, ne Rhabarbarum aut Sennam coctionibus macerent neve uſtulent, vaporatur enim à calido volatile. In confectione Hamech fruſtra & Sennam & Rhabarbarum excoqui Septalius attendit, videnturque Magiſtri erroris habere conſcientiam, quando volatili principio magnâque exiſtimationis parte decoctis, ſub finem & Sennam & Rhabarbarum juſtâ repetunt quantitate. Aſarum & Horatius Augenius Helmontiuſque monuerunt non eſſe coquendum, quod ſic volatili purganteque parte orbetur. Rulandus etiam Pater ad ſudores tantùm decocto utebatur: infuſio autem in frigidam recentiſve concuſſio in pilâ, vim purgativam probè elicit, ſalvâ hic volatili portione. Sed Volatilis principii miſturam probaverit inſuper facilis purgantium cum fluido aqueo fermentatio; tabeſcunt enim exhauſto ſpiritu, eòque citius, quò humidi vernaculi habent pluſculum. Ergo non ineptè Hofmannus liqui-

liquidiora quæque, Caſſiam, Mannam & alia ab aëre defendi voluit, à fermentatione aut vapida aut computreſcentiâ. Imo ſine fermentatione multa Volatile ſuum in auras effundere ſollicita perſuaſerit Pharmacopœorum cura; nulla unquam purgantia in pulvere aut minoribus momentis aſſervantium; ſciunt enim ſic fluidi externi in totidem nudas expoſitaſque pollinis ſuperficies (ut quæ diſtractæ jam ſint à mutuâ ſuperficie, ambientemque ſuſtineant aërem) majorem eſſe impetum, Volatileque facilius evocari. Scammonium, Jalappa, Rhabarbarum, in pulverem comminuta, ægrè ſe defendunt ab iſtâ aëris injuriâ, ſed exhauſto cum tempore volatili quaſi λειποψυχέουσι: quo verbo Hippocrates in Epiſtolâ ad Cratevam idem hoc medicamentorum deliquium deſcribere non erubuit. φάρμακα, inquit, τὰ διαυγαζόμενα τῇσι πνοῇσι ἐκλείπει τὸν τόνον τῆς φαρμακείης, ὥσπερ λειποψυχήσαντα. Omne autem hoc fermentatione quadam, aut, ſi mavis, corruptione inteſtinâ. Et cum metalla quoque ipſa corruptione ejuſmodi diſſolvantur, quis jam erit negandi locus, & hæc principio quodam volatili perfundi, ſuppeditante in terræ viſceribus & igne & ſulfure & acerrimus undique ſalibus. Eadem ſe extendit per omnia mundi anima, idem permolit corporum poros æther, quem tenui involutum cortice Spiritum ſalutamus. Hippocrates jam dudum, ſive divinitus ſeu ex Tabulâ Smaragdinâ, ἡ φύσις, dixit, ἄνω καὶ κάτω μία. Poteſt ergo idem in metallis ſubterraneiſque mixtis regnare Volatile, ſed quod ſolidis innexum partibus difficilius prodeat, quàm in altero illo vegetabiliumque regno. At ne tibi neceſſe habeam

beam fictâ ratione assensum extorquere, clarissimè metallica volatile principium ostendunt, quando inflantur & motu crescunt, expandentibus se calore particulis, frigore se constringentibus, ut in Tubo ferreo Auzutus notavit, atque apud Magallottum in Armillâ æneâ Stenonis vidit. Equidem in venis suis metalla novo accedente rore fermentari tabescereque fossores observant, peculiaremque hanc censent venarum esse mortem. Sed testimonium hic quoque debet Chemia. Ferri tantùm ramentis affunde Vitrioli oleum; insurgunt protinus hæc mutuò corpora, subtilique principio nares vibrant: sed ne hunc æstum aut materiæ πνευμάτωσιν, quam Plato in fermentatione requirebat, soli Vitrioli oleo adscribas, sopitæ jam effervescentiæ meram duntaxat aquam admisce, miraberis equidem, tanto continuò æstu defectum resuscitari spiritum: scilicet, solutâ per acidum compage, facilior est aquæ in salem impetus. Quod si hunc quoque motum recrudescenti per aquam acido collectoque per ἀντιπερίστασιν igni adsignes; solâ aquâ fontis eâque destillatâ Martis riga limaturam, circumtensisque cucurbitam pannis fove; tanta exsurget cum tempore fermentatio (hic enim effervescentiam vocare Chemicorum vetat religio) ut vitrum etiam rupturam minetur; cessante autem hoc æstu in principia & crocum suum Mars jacet dissolutus excusso Volatili purgativoque principio. Æs quoque fermentatione distringitur, pluvio enim cœlo sudat fastidiosam purgativamque æruginem, pinguem & volatilem offam, Vegetabilium Sapæ instar. Multis etiam locis acidiore fermento hoc Sulfur evocant, quippe æris laminas alternatim vinosæ

F fæcis

fæcis ſtrato imponunt arctéque in cados aut lignea labra cogunt: hæc cum tempore miſtura exæſtuat metallumque in æruginem reſolvitur. De Argento certiſſimè etiam aliqui ſpondent, fermentatione in melleam ſapam reduci poſſe, quò minus apparatum hunc à Vegetabilium illo diſferre credas. Hic ergo volatilem ſpiritum fatearis neceſſe eſt, ut conſtet, quâ vi ſulfura iſta metallicorum, per naturalem aliàs contextum ignava, in ſublime vas tam ſubitò efferantur. Et, niſi hoc Volatile ad purgationem quoque conferret, cur, ut ſupprimatur iſta facultas, Chemici provocant ad ſecretum fixationis? Sanè fixa medicamenta nulla ſunt, quæ purgant. Volatile autem hoc primum eſt in Sapâ purgantium movens, primum, quod ad calorem, id eſt, congeneris fluidi motum, ſe diſſipet oleique explicet tenacia ramenta, ſaliſque inde impellat ſpicula. Hinc ſpiritus in ſe cum ſale & oleo, omnium rurſum in ſanguine tumultuarius motus fermentationiſque initium, quam eò facilius ſanguini inferri credibile eſt, quò alienarum miſcellanearumque partium plus habet Sapa. Neque hoc parum eſt ſalia fixa per volatilem ſpiritum reddita volatica, ad alvi ductionem magis quàm nuda illa & acria conducere; id quod in Sale Tartari Volatiliſato ſecretiores Chemici, inque Spiritu Vini Tartariſato Hartmannus in ſuâ Praxi oſtendit: nos verò etiam frequenter Salis Ammoniaci Spiritum in melancholicis purgativum experti ſumus, motus ſcilicet progreſſum multum adjuvante Volatili. Eſt hæc etiam ratio, cur in pituitoſis ad fermentationem in viſcido inducendam, aut Alöæ aut Maſſæ Pilularum non infeliciter copu-

lentu

lentur aliquot Salis Volatilis guttæ. Et quisquis huic Volatilis effectui fidem denegat, videat; quemadmodum magno suo emolumento ad frugum promovendam fermentationem sale aliquo volatili utantur ingeniosi Artifices. Cum autem Volatilis hujus cum sale oleoque temperamenti unionisque modum assequi quàm difficile sit, ideò est quod frustra hactenus in artificialis Purgantis confectione laboraverint Chemici; nec scio, an in alio tàm propè, quàm aut Balsamo sulfuris Anisato aut Sale volatili oleoso assecuti sint; licet hæc ego, nisi certo respectu, inter purgantia vix numerem.

Cap. XIII.

Præcipuum in Sapâ fortium Purgantium elementum Acre esse, ejusque beneficio viscida attenuari, cohærentia dividi. Hoc habere cum Alterantibus commune, solo enim motu fermentationeque purgantium constare formale. Galeni ἴυρσον σῶμα: τέμνειν καὶ λεπτύνειν *est Purgantium, quatenus alterant præparantque. Cassia, Manna & Fructus horarii tantùm fermentant. sed nisi in præparatis corporibus. Elaterium, Euforbium, Colocynthis etiam alterant. Purgantium acre sensibus innotescit.*

PErspecta nunc est Oleosi Volatilisque natura, & utriusque esse aliquas in purgatione partes ostensum est; sed nihil ab his quoque exspectari posset, nisi tertium accederet præcipuumque purgantium elementum, Acre scilicet & Salinum, quod in oleosi utplurimùm sinu delitescere subinde notavimus. Hujus verò

Elementi quantus ſit uſus, vel ipſa Bilis exemplo eſt, naturale corporis purgans; quippe quæ, ſi juſtâ deſtituitur acrimoniâ terſivoque amarore, in alvo ducendâ invalida eſt. Hoc Icterici ſentiunt, quibus bilioſi ſalis ignavia & inducta cum tabe μαρασμοῦ ventrem aliàs facilem conſtipat, ad acrium demum, Abſynthii, Saponis, Stercoriſque anſerini uſum ſe relaxantem. In Cholerâ autem aliiſque alvi fluxibus ſymptomaticis aucta rurſum bilis acrimonia eſt in culpâ, & irritantis nimium & acumine ſuo diſſolventis maſſam, immiſſâ jam fermentatione. Quare ſubtiliter Hippocrates in Coacis ſymptomaticas haſce purgationes ἐκτήξιας vocat ἐς τὰ κάτω ῥεπούσας. Sanè eadem hæc ἔκτηξις adeo eſt medicamentis familiaris, ut, quæcunque ab alvo detrahitur pituita, ſeu viſcida, ſeu extremis infixa fibris, purgantium tamen beneficio liquida exeat atque pertenuis. Non parvum itaque & hoc eſt momentum, ad Acrimoniæ ſenſibilis demonſtrationem, quandoquidem vix eſt, unde hanc attenuationem exſpectemus præterquam ab Acri. Conſiderandum vero hic eſt purgantia, quatenus incidunt attenuantque viſcida, atque adeo ſunt acria, eſſe etiam alterantium loco omneque illud efficere, quod medicamentis vulgò præparantibus effici ſolet, quodque Hippocrates omne ad corporis procurandum εὔροιαν requirebat Aphoriſmo nono lib. 2. ad quem locum dignus eſt, qui audiatur Galenus. εὔρουν, inquit, δ', ὡς εἴπομεν, ἐστὶ σῶμα, τῶν μὲν πόρων ἁπάντων ἀναστομωθέντων, τῶν δ' ὑγρῶν τμηθέντων καὶ λεπτυνθέντων, εἴπερ τι παχὺ καὶ γλισχρὸν ὑγρὸν ᾖ κατὰ τὸ σῶμα. Itaque non ad Purgationem tantùm, quippe quæ fermentatio eſt, & vel à fructibus quibuſque horariis, aut Caſſiâ & Mannâ cieri

cieri poſſet, ſed utramque & præparationem purgationemque acria hæc Cathartica conferent; quâ autem parte acria ſunt, alterantium, quâ parte in miſcellaneam coacta ſapam, purgantium defungentur munere; cumque à vulgatis illis lenitiviſque medicamentis vehementia quæque, alterum illud accidens diſcriminet, examinandum nobis eſt, quarum hoc maximè partium, τὸ τέμνειν, inquam, καὶ λεπτύνειν, beneficium ſit. Ego quidem incidere vel attenuare poſſe præter acria aut acuta nihil reor, à qualitatibus enim nudis fruſtra hoc ſperetur. Alterum erat vellicari vaſa καὶ ἀναστομοῦσθαι ad expulſionem noxii, quo imprimis triumphat Eraſtus: & quamvis hoc dare ſollicito undique Philoſopho poſſimus, ad membranas tamen ventriſque tunicas irritationem pertinere longè eſt æquius. Sed nullus eſt, ais, puncturæ aut in venis vel membranis ſenſus. Quid igitur? ſentitne anima aut eſt conſcia acidi rodentis in convulſione? Ventriculi orificium in fame vellicat acidi acrimonia: πάθος ſentitur, cauſæ vel materiæ irritantis nulla eſt conſcientia; ſed in ipſa naturali dejectione vellicantur à bilis acrimoniâ inteſtina omnium confeſſione, neque tamen cauſæ ad nos ſenſus redundat: ita in purgatione, quando membranæ vaſorum irritantur, hoc tantùm fit, ut ſpiritus alliciantur animæ proxenetæ ad naturali functioni inſerviendum: ſed cum dolor excitatur, ſenſileſque valdè diſtenduntur fibræ, ad ſenſum quoque functionemque animalem affectio remigrat, eſtque contra naturam. Irritare verò non eſt aliud, quam moderato impetu in membranarum ſenſoriique fibrillas inſultare; facere autem hoc nequeunt, niſi quorum figura huc ferat

 in

in extantes protenſa cuſpides, aut minantia undique ſpicula; neque enim à ramoſo amplexuumque tenace corpore, quod oleoſum licet voces, neque à meris globulis aliquos exſpectemus inſultus: accedit, quod neque craſſioris ſanguinis pituitæve permolere poros, niſi acuminatæ atomi poſſint, &, ne à perforatione retundantur aut frangantur, rigidæ, vanus enim eſſet alioquin inſilientium conatus: ſanè, nulla & in hunc finem figura commodior eſt, quàm quæ à latiore baſi in tenuem finitur cuſpidem, & quæ, prætentis ſpiculis in tenues admiſſa poros, inſtante baſis robore & motu, tandem tota abſorbeatur, ruptis ac dilatatis anguſtiis; hoc enim requirit τῶ τέμνειν vel λεπτύνειν ſignificatus, quod ab Arabico deflexum apud Meſuen ſerrantem qualitatem nominat Jacobus Sylvius, naturam proximè exprimente voce mechanicâ. Sed adeò purgantibus hæc debita eſt acrimonia, ut, quæ minus habent acris, nam & illud ſubinde fit, aut altius in ſe recondunt, manifeſtis jam acribus adjuvare incidendique impotentiam acuere ſit neceſſe. Non infrequens eſt, quia in purgantibus noſtri hodie corrigendi etiam virtutem quærunt, ſalibus quibuſlibet fixis aut acerrimis oleis comitari ignava fortè medicamina. Tartari hic Vitriolati, Saliſque Abſynthii felicem deprædicant copulam. Aloes equidem ſegnitia aut Caryophyllorum oleo aut Roſmarini iſto pulcrè excitatur. Agarici quoque mollitiem Zingiber expugnat, monentque aliqui, niſi Trochiſcatum, ſumendum non eſſe. Turbith etiam Pipere irritatur, alia aliis. Sed & Colocynthidem propter acrimoniam multis ſociant purgantibus, raròque fallit Medicum

cum Trochiſcorum Alhandal mantiſſa. Nunc verò ipſo quoque ſenſu multa deprehendimus acria: plurima enim in pilâ trita inque aërem abeuntia naribus ſternutamenta oculiſque lacrymas excutiunt. Ellebori pulvis, aut, Fonſecæ conſilio, Tabaci in nares attracti fumus, membranæ pituitoſæ percitis poris hærentem tenacemque blennam in rivulum diſſolvit, τὸ θερμὸν γὰρ διαχέει φλέγμα, ut Hippocrates loquitur, lib. 2. de Victus ratione. Sed hic etiam ipſis in venis à cæterâ maſsâ fieri ſecretionem quandam, quæ Purgantibus eſt familiaris, ſicca facilè oſtenderint Hiſpanorum capita aut Italorum, crebris ptarmicis cerebri ſuggrundia ad perpetuum liquidi ſtillicidium Elleboro ſollicitantium. Certè Elaterium aliqui acerrimumque Euphorbium in Errhinis commendant; imo & ipſe flos Veneris Roſa, imprimis quæ Moſchi delibuta eſt odore, nonnullis fortiſſimâ ſternutatione madidum rorem nare detraxit, obſervante hoc Fallopio. Quare & hoc in Cardanum vertere Scaliger potuit negantem ἄνοσμα eſſe poſſe acria. Rhabarbaro aliqui frequentem provocant ſalivam, ubi Aloen commendabat Braſſavolus; Scammonium ad ſenſum quoque nares vellicat, jubentque alii ad vultum Ictericorum bilioſâ flavedine exuendum naribus fruſtillatim immitti; quippe, præter irritationem, etiam ſecretionem quandam Purgativam in proximis venis fieri. Rectè, quòd acre præcipiant, quòdque purgans, ſed quòd Scammonium, ſuperſtitioſè nimis, deſpiciente hoc quoque Platero. Hæc verò cuncta à ſolis acribus exſpectamus quotidie; reſtat ergo, ut purgantium pleraque, ſaltem vehementiora, acria eſſe credamus, non

tam purgationis fermentationisve, quàm necessariæ utplurimùm præparationis causâ, quæ si simplicibus jam antè acribus salibusque, ut loquuntur, digestivis est confecta, solis ferè fermentantibus, Cassiâque & Mannâ, non tam acribus quàm volatili spiritu inflatis, alvus est aperienda.

CAP. XIV.

In Vegetabilibus tamen & Metallicis plurima esse vehementissima medicamina, quæ nullum præbeant linguæ acrimoniæ sensum. Linguæ multa insipida videri, quæ communi tactui sensilique membranæ facilè appareant acria. A sensorii hoc subtilitate, aut acrimoniæ plus minus occultæ modo dependere. Metallica, Lapis Lazuli, Gummi Indicum. Idem hoc acre sub contrariâ qualitate posse delitescere in Vitriolo albo, Martis Crystallis & Squamâ Æris, aliisque ex Galeno ostenditur.

MOraris & justâ tibi satisfactum esse ratione negas, cum Purgantia quædam sint vehementissima & tertii gradus, quæ nullam reddant gustui acrimoniam, ut Metallicorum pleraque & in Vegetabilibus ipsum Gummi Indicum. Atqui nihil hoc est, cum nulla sit, quæ se linguæ, ceu gustus organo, objiciat acrimonia, nullam etiam proinde remotis impedimentis prodire posse, aut pro ingenio alias afficere partes & vel communem omnibus sensum, Tactum. Equidem linguæ non est dijudicare acria, sed communis fere sensorii expansæque per omnia membranæ; quâ cum hæc

quoque

quoque investiatur, ejus potius respectu, quàm organici gustus beneficio acrimoniam percipiet. Imo adeo sæpe ab eâ lingua percellitur fibræque sensiles rigescunt, ut ne discernere quidem sensus, salsa an acida fuerit, nequeat: nam sive Vitrioli Spiritum seu lixivum Salem sive etiam Origani oleum linguæ instilles, tam æqualiter hoc acumine pertundentur membranæ sensilis fibrillæ, ut ubique & ignem & voracem increpes flammam eundemque spiritum. Lacerari autem dividique fibras argumento est, quòd gustum omnem lingua pro tempore amiserit, neque propriis jam sufficiat saporibus. Amaritudo autem vel Acor aut Salsedo, vel exquisitissima, quà talia, linguam nunquam offendent, quia propria sunt ei germanaque objecta, neque ullo alio sensu percipiuntur; acrimonia verò, inter figuras duritiemque corporum referenda, communis omnium tactus objectum est, ut, quæ gustus objectum non sit acrimonia, ab eo commodè repeti nequeat: sed cum aliæ aliis partes sint teneriores, aliæ etiam ante alias acrimoniam citius persentiscent. Linguæ membranam multa prætereunt oculis infesta, Alliique aut Cœpæ nidor oculos naresque potentius quàm linguam titillat. Hinc roganti alicui apud Aristophanem, *τί δῆτα κλαίεις?* respondet Dionysius, *κρόμμυον ὀσφραίνομαι*. Partes nudatæ epidermide etiam frigoris sentiunt acrimoniam. Antimonii nulla apparet gustui acrimonia, sed si ejus sive crudi seu reverberati pollen oculis insuffletur, acrimoniâ suâ, oculis tantùm infestâ & tenerioribus membranis, suffusam guttam non sine dolore dissipat; ad quem usum cum & olim Græci commendassent

in καλλιβλεφάρῳ, mirum eſt non reſuſcitaſſe noſtros per Quercetanum admonitos. Sed in Ære quoque nihil adeo guſtatur acre, tamen ad oculos, ad vulnerum exeſionem aquas virides, venereo infectas fuco, Hartmannus aliique ambitiosè commendant. Quare quæ ſenſiii membranâ pars obducitur, acrimoniæ ſenſum habeat neceſſe eſt, habereque oſtendunt nervi ad leviſſimam puncturam palpitantes: imo, ad acrimoniæ vel minimum occurſum ſequitur ſtatim vindex convulſio. Eſt autem notabile Ellebori nocentem acrimoniam nervos potentius convellere, quàm Salis Ammoniaci ſpiritum adeo ad guſtum acris. Sed quæ hic in primâ regione facilè debellatur acrimonia, iſthic demum multis in ſanguine macerationibus educta ad nervorum crepidines ſalva dimittitur. Unde apparet acrimoniam, quæ linguam principio fefellit, aliis tandem partibus innoteſcere poſſe, ſive quod ſenſu gaudeant delicatiore, ſeu quod longâ maceratione ruptis repagulis incluſum prodeat acre; nam & in aliarum partium ſinu latere poſſe, donec alterius menſtrui evocetur fermento, experimentis perſuademur. Chalybs, qui guſtui nullum refert ſaporem, ignibus recluſus, mox in aquâ extinctus acidum medicatumque ſaporem in lympham effundit; ut Vulcaniæ teſtantur officinæ Cyclopumque antra: Vinum autem ab ignitâ laminâ ferreâ amareſcere Capivaccius notavit. Æs alimenta quoque & imprimis acida aurâ venenat faſtidioſâ. Argentum liquido maceratum cumque acido in Cryſtallos coactum amariſſimum eſt. Plumbum ad lympham dulceſcit ſaccharumque etiam ſuperat; ſed & ſua huic conſtat acrimonia.

Arſenici non tanta eſt primâ fronte acrimonia, neque enim, aut à felibus devoraretur, aut Pharmacopœi illi apud Salmuthum pro ſaccharo cœnaſſent, niſi dulce ſubeſſet ſaporis blandimentum: hoc tamen virus, ut ventre receptum eſt, immanibus vagum doloribus excruciat, ſublimatique æmulatur acrimoniam. Lapis Lazuli linguæ nihil objicit mordax, quod certò tamen menſtruo inde elicitur. Quod de Gummi Indico, Barbaris Gutta gamba, memoras, ſuſpectum eſt, cum Caſtellus ἄποιον agnoſcat, quod Monardus acris inſimulat urentiſque facultatis. Inſipidum certè eſt Gummi noſtrum, guſtatur enim impune, puerique ſalivâ imbutum pro fuco chartis illinunt ſine ullo acrimoniæ ſenſu: ſed gulâ acceptum idem hoc Gummi momento temporis vaporem revomit in fauces acerrimum, gulæ vocant incendium ægri. Quod cum mecum animo ſæpius verſaſſem, neutrum ego, ſive Monardum ſeu Caſtellum, judicio ſuo fruſtandum putavi, cum mutatis experientiæ terminis primo ſtatim guſtui alter, alter verò ſuborienti tandem ſymptomati inhæſerit. Oleum rancidius non tam lingua quàm gula acrimoniæ damnat; minus enim eſt hæc acrimoniæ patiens, quod vel in vinis patet linguæ etiam gratis. De Scammonio non moneo, quòd ea res ſit ſatis nota, neque tantum ſit partium alienarum involucris acrimoniam impediri, cum & ab oleo aliiſque hoc elementis exſpectari poſſit; neque enim acrimonia ſubeſt nulla, ſed ut ne ſtatim eluceſcat, partium aliarum nexibus continetur: hunc nexum prius ſolvi oportet, quàm acrimoniæ ſenſus prodeat, quod apprime fermenta-

tione illâ miſcellaneâ fiet. Spiritum inſipidum nonnulli promittunt, qui auri diſſolvat ramenta, quem ſine acumine fuiſſe, quidquid hic lingua non ſentiat, improbabile eſt. Sed in corpore manifeſta etiam hujus rei extant teſtimonia: humores enim aliqui, antequam vel ſecreti ſunt vel fermento ſingulari immutati, ſenſum ſui non præbent; ex ipſo quippe ſanguine, utut dulci, amara & ſalſa aliæquæ innumeræ qualitates ad ſenſum eliciuntur. At verò alterum eſt magiſque ſtupendum, non ſub inſipidâ tantùm ſed contrariâ etiam adſtringenteque qualitate Purgativum Acre latere poſſe; latet tamen, latereque oſtendunt Myrobalani, Rhabarbarum, plus Terrei adſtringentiſque, quàm volatilis acriſque ſolutivi (τηκόντος ſcilicet) continentia. Sed hoc etiam probant metallorum vitriola cum vomitiva tum purgantia. Pulpam quoque Cydoniorum auſteritate gratam artifex manus palato conciliavit, cumque ſtyptico acre ſalinum purgantium in Cydoniato compoſuit; ut appareat ſalvam eſſe poſſe ſub diversâ qualitate purgantium acrimoniam. Quis non à Vitriolo illo albo, aut Martis illo Mercuriove ſublimato, omnium auſteriſſimis medicamentis, adſtrictionem potius quàm purgationem exſpectet; hæc tamen, licet acerbiſſima, fovent in ſinu acre iſthoc Purgantibus familiare: nam ex analyſi huic mercurium vivum, iſtis ferrum & æs ſubjici conſtat, ſingula volatilis & purgativi principii plena. Quare Vitriola iſta ſive Salia, non auſteritatis ſuæ ſaliſve acidi, ſed elementi metallici admiſti reſpectu purgare credendum eſt: ſic enim à Sale metallum ſeparari poteſt, ut, quâ parte Metallum eſt, pur-

gativa

gativa vis remaneat; quâ Sal, adſtringens acerbaque qualitas. Oleum ſpirituſque Vitrioli adſtringunt omnium confeſſione, ſed Colcothar, ſive quod præter acidum reliquum eſt cadaveris, virtutis ſuæ vomitivæ tenax eſt corpus: utque metalli etiam minutiis imprægnatum credas, Angelus Sala ſe vadem præſtat, æs quippe ductile Colcothare elicuit. Unde patet, quod in Vitriolo, ſive naturali ſeu artificiali, eſt vomitivi aut purgantis, à metallo eſſe, Ære aut Ferro, neque hoc ab officinarum Tartaro Vitriolato nuperque Tachenii regenerato exſpectari poſſe; utpote quæ non ex metallo, ſed ſalibus reſuſcitantur ſimpliciſſimis: Vitriolum equidem figurâ anguliſque referentia, ſed metallicæ purgativæque facultatis indiga. Largiaris hoc neceſſe eſt Tacheni, vel à Philoſophis admonitus, Vitriolum eſſe metallum ab acido arroſum, ſed, prout æs aut ferrum exedit, ita aut vomitivum aut purgativum. Igitur, cum Salis Tartari cum Vitrioli oleo miſtura omne metallum excludat, neſcio an ex philoſophicâ ſubtilitate dici hoc verum germanumque Vitriolum, id eſt, æs arroſum, queat. Et quòd Nitrum ad utriuſque ſalis miſturam perfectè renaſcatur, defectus facit metallici principii; id quod neque de Vitriolo aut Alumine, neque fortè Borace dici poteſt: uti enim hic aurum mercuriuſque, ita ibi æs aut ferrum deliteſcit: addi ergo hæc denuo oportet eadem numero principia, ut veri naturaliſque Vitrioli inſtar renaſcatur, addi neceſſariò aut æs aut ferrum, non nudum ſimplexque Tartari ſal; ægrè enim hinc Terram in Colcothare reſtilem, ægrè etiam metallum eruas purgationis cauſam. Itaque,

quando

quando Martis limatura cum Vitrioli oleo committitur, in Vitriolum abit verum, naturali & Anglico persimile, facultate etiam purgativum: quando Æris ramenta ab eodem oleo devorantur, Vitriolum nascitur in Crystallos extensum virides, Vitrioli Cyprii instar, facultatisque vomitivæ. Ut tunc demum regenerari Vitriolum credi possit, quando eadem ab Arte acido admiscentur principia, quæ in terræ visceribus adfluenti sponte acido Natura suppeditavit, id verò est, metallum. Apparet hinc etiam, quàm ineptè aliqui vegetabilium qualitates metallicorum nominibus insigniant, acerbamque ubique facultatem vitriolatam vocent, quasi hoc ipso argueretur metallici quid subesse. Sed commune omnium est acidum, sed alienis plus minus elementis intermistum; cumque in Minerali regno sit intemperatius, in Vegetabili rursum variorum principiorum misturâ mitescat, in Animali tandem regno obtunditur; sed in alterutro Vitriolatum vocare, quod in uno tantùm regno ejusque singulari hospite, Ferro aut Ære locum habet, insania est. Adeo ut, quod in Cydonio est adstringens Vitriolatum nominare perinde stultum sit atque Vitrioli istud Cydoniatum dicere: nam ut Vitriolatum quid dicatur, metallum debet continere, ut acidum, commune omnium principium, qualitatem patibilem, Hippocratis ὀξύ. Sanè quod in Buxi, Quercusque spiritu nonnulli Vitriolatum appellant, cum Tartari Sale in certas propriasque abit Crystallos, à Tartaro etiam Vitrioloque diversas, ut determinationem hæc principia ab aliis usque elementis repetant, non Vitrioli illis aut metallicis. Quod si verò huic Vegetabilium acido

acido metallum acceſſerit, tum proximè à Vitrioli naturâ abeſſe probabile eſt. Ita ſi Pomi crudioris acidum ſeu Cydoniorum cultri infecerit aciem eroſeritque, tum ſanè & Metallum ſapit & Vitriolatam adſtrictionem. Sin autem æri acceſſerit, jam manifeſtè ejus naturam induit auramque recipit faſtidioſam, ſtomachum enim ſubvertit. Ut fruſtra etiam aliqui in Myrobalanis & Rhabarbaro Vitriolatam auſteritatem, ubi ne metallum quidem eſt, ſuſpicati ſint. Ergo quod acidum in Vitriolo æs aut ferrum, in Alumine mercurius, in Nitro ſulfur determinat redditque ſpecificum, idem hoc in vegetabilibus multo liquore dilutum impotens evadit, & in ſingulis temperamento particularum accedentium immutatur. Et quemadmodum Vitrioli acido purgativum quid accedit, ita etiam Rhabarbari Myrobalanorumque auſteritati volatiles adjiciuntur ſalinæque particulæ, ſuâque ſingulæ defunguntur facultate. Quòd verò nec Mercurii ſublimati ſæva auſteritas ſit in causâ purgationis, hinc patet, quòd novi & vivi mercurii additione demitigatâ auſteritate dulceſcat, meliuſque ſic purget quàm antè, ut quotidie inter experimenta diſcimus. Non ergo miremur, quomodo Martis Cryſtalli tantæ auſteritatis participes purgare queant, cum illâ particularum efferveſcentiâ metalli ad ſe coëgerint Acriſque purgativi minutias. Eſſe verò metalli cum ſalibus in Cryſtallo miſturam mira illa & terrea auſteritas, in aliquibus etiam ingrata amaritudo oſtenderit, ſed vel maximè metallicæ portionis reductio; in quo cum alii fluctuent, alii contrà & Vitriolum in terræ viſceribus metallum bibiſſe, quod ad Chemicum ignem reſudet,

det, ſeriò exiſtimant. Latet itaque ſub contrario involucro purgantium acrimonia, ſenſumque fallit, ſed cum inteſtinâ fermentatione naturalique menſtruo vis illa tandem prodeat, ſuppreſsâ auſteritate alvus facilè ſolvitur, licet ea linguam maximè offenderit. Sed in hiſce diſputantem juvat audire Galenum. Is lib. 3. de Medicam. ſimpl. facult. cap. 15. Squamam Æris duplici præditam diversâque qualitate prædicat. Ἐςὶ δ' ἐν τῇ λεπίδι τοῦ χαλκοῦ δύναμις διπλῆ, καθάπερ καὶ ποιότης; Sed longior eſt textus quàm ut græcè repetatur: igitur ex pereleganti illo capite nonnulla tantùm & latinè delibabimus. *Eſt*, inquit, *in ſquamâ Æris duplex facultas ſicut & qualitas, nam & adſtringit & mordicat: & propterea adſtrictione quidem ſiccatas ulceratarum carnium cicatrices obducit, mordicatione verò molles humidaſque colliquat. Quod ſi intrò in corpus ſumatur, purgat quidem ventrem, verùm non cohibet; vincitur enim ea adſtringendi facultas ab acri purgatoriáque, tanquam ſi Rhu ſuccum Scammoniæ commiſceas: nam quod ex ambobus miſtum erit, ſolvet ventrem, non ſiſtet, licet guſtu auſteritas exſuperet.* Nunc autem quæ ſub iſtis qualitatibus larvata deliteſcit acrimonia, unà cum conjunctis ſibi oleoſi volatiliſque principiis, purgationis humorum erit cauſa; utque inde etiam purgationem pendere conſtet, age, eluamus acrimoniam, decutiamuſque ſuos acutis particulis angulos aut oleosâ intricemus compede, quàm utique enerve corpus purgatio deſtituet?

Cap. XV.

Acre hoc etiam partem ſapæ purgativæ eſſe inde probatur, quod lotione eliquetur extrahaturque purgantibus, ſapæ pariter & purgationis detrimento. Aloe, Squama Æris, utraque lota apud Galenum quid poſſit. Pinguedine etiam externâ involvitur hoc acre miteſcitque, ut hinc quoque conſtet eſſe ejus aliquam ad Purgationem neceſſitatem. Objectio diſſolvitur.

CUm indubiis argumentis confectum ſit qualitates, quas vulgò patibiles vocant & ex ſenſuum variâ affectione definiunt, eſſe modos duntaxat corporum ſubſtantialium, meraque, vel ipſis Scholaſticis fatentibus, accidentia, & ipſa profecto acrimonia, quod qualitatis eſt, ſubſtantiæ erit accidens, ſubſtantiæ autem acuminatæ & rigidæ: ne in ſolis qualitatum umbris hærere videantur, qui corpus acutum & durum, &, ut habeas, quod corpuſculorum juncturis, id eſt, poris imputes, in aquam per infinitas inde minutias diviſibile, Salem appellant. Itaque harum proprietatum ſi vel una deficiat, quis dubitet corpori accidens, ſali ſuam formam, acrimoniæque qualitatem detritum iri. Hoc ergo, ut experimento teſtemur, ibimus acrimoniæ ſeu Salis deperditum formam, & quò pateat, purgationis hic etiam aliquas quærendas eſſe partes, menſtruo extrahemus, ſed amiſsâ ubique purgandi vi. Medici autem hoc lotione tranſigunt, & per illam purgantium acrimoniam retundi poſſe

Meſue tradidit, plurimorumque huc uſque emollit recentior ætas. Quod verò lotione miteſcit acrimoniamque ſuam perdit, cum præter Salem nihil in aquis liquetur, Salem fovere neceſſe eſt. Ita corpora, quibus per ignem acrimonia ſpiculorumque acceſſit intorſio, contrarium naturâ elementum aqua refrænat mordaceſque ab uſtione acies obtunditur: hinc ſalium lixivorum, Oſtreorum, Concharum, lapidumque exuſtorum acrimonia continuatis mitigatur lotionibus, ruptiſque per aquæ volubiles vortices minimorum interſtitiis extantia detondentur ſpicula. Sed ne hoc unicum Chemicorum inventum credamus, Galenus paſſim libris ſuis de Compoſit. Medic. per genera, uſtos Cancrorum, Purpurarum aliorumque cineres inculcat, ſed per lotionem emollitos. Deinde & Antimonii & Plumbi cineres, verbo, metallicorum omnium morſum & acrimoniam ignibus auctam lotionibus auferre, & quorum ſævius eſt acumen, aceto acidove vino expugnare docuit. Imo calcem uſtam & ex acrimoniâ vitalem ſola aqua edomat & emollit, exacto per ἀντιπερίστασιν igneo hoſpite: ſed ne hoc ſolum in artificiali valere videatur acrimoniâ, etiam illa, quæ naturâ ſunt acria, lotione molleſcunt. Sal Naphticus vel Sodomites apud Meſuen lotionibus temperatur, lapiſque Lazuli aut Armenus è vomitorio in leve vertitur purgans. Tum quid aliud Scammonio prolectus cremor, quàm demitigatus triturâ & lotione Scammonii ſuccus, multò enim jam modeſtius purgat. Hoc quoque fatum eſt Gummi Indici, ut bis elotum commodè alvum ducat, cum naturâ vomitorium eſſet, imò longâ & frequenti ablutione

purgandi

purgandi vim amittere ipſe expertus ſum. In Aloe hoc ipſe etiam Galenus notavit elotam purgandi vim amittere; ait enim lib. 3. de med. ſimpl. facult. cap. XV. Ἐπιμελῶς γὰρ ἀλόη πλυθεῖσα παντάπασιν ἀσθενῶς, ἢ οὐδ' ὅλως ὑπάγει γαστέρα, ταυτὸ δὲ καὶ λεπὶς χαλκοῦ, καὶ αὐτὸς ὁ κεκαυμένος χαλκὸς πέπονθεν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀκριβῶς πλυνάντες ἐπειράθημεν ἀμυδρῶς αὐτῶν καθαιρόντων. Sed ecce hoc latinè. *Aloe accuratè lota omnino debiliter, aut planè non ſubducit ventrem: hoc etiam Æris ſquama atque Æs uſtum patiuntur, quippe quæ diligenter elota experti ſumus obſcurè purgare.* Intelligis, quid de Aloe lota ſentiendum ſit, ſcilicet, pro purgante lavandam non eſſe; ut adeo & vulgò in chartulis lotam deſtinant & ad Aloephanginarum compoſitionem commendare; ſeriò enim Dioſcorides monuit, niſi impuram, lavandam non eſſe. Quare fruſtra ſe hic torquet Septalius, utrum aqua illa abjicienda ſit an ſervanda: quippe ſi abjicitur, ſalina acumina, purgativæ ſapæ debitum principium, abjici certum eſt, ſin ſervatur & ad ſolem evaporat, ſic quoque calore ſalinum volatile efferri credibile eſt. Sed ut lotionum legibus ſatisfiat, & addenda ſæpius revocandaque eſt decantatione aqua. Quercetanus alium, ſed in Chemicorum foco, promittit abluendi modum, ſed quæ lotio propriè non ſit, at quam artis vocabulo extractionem nominant; quod à Galeno diſcere Chemiſta potuit. Quoniam ergo lotione aqueâ purgandi iſta vis deletur, quis non exiſtimet in acrimoniâ etiam aliquid eſſe ſitum, eâque ſalinâ, cum nihil præter Salem in aquam diffundatur. Sed duplicem eſſe hujus enervationis rationem credibile eſt; nam vel in aquas ſe extendit Sal

purgativum, inde enim decantata aqua salsedinis alicujus est particeps, quod in Aloës Scammoniique lotionibus experiri est; vel Purgantibus sæpius elotis sæpiusque evaporatis anguli duntaxat salium deteruntur (quod enim cunque in corporibus ultra sphæræ prominet superficiem, facilius abraditur) inque rotundam desinunt & inertem figuram, terram meritò appellandam, quò vel imprimis credamus, acrimoniæ formam acuminata esse salium spicula. Notandum hic quoque venit, Acre hoc Sapæ detractum misturam illam uno & præcipuo elemento minorem reddere, fermentationisque adeo etiam intervertere occasionem. Sed jam & alia possunt acrimoniæ hujus effectum, facultatemque inde natam præpedire, oleosa scilicet aut pinguia, quæ corporis sui intercessu rigida illa spicula involvunt ac deliniunt. Nam dum uncis suis mollibusque tricis contextuque anfractuoso acumina illa excipiunt obtusioreque gibbo includunt; irritandi fundendique virtutem (τοῦ τήκειν) necessariò demulcent; & cum salium cuspides molli delibuti unguento delitescunt, amisso hoc fræno redire ad ingenium posse ego mihi quidem persuadeo. Certè Emplastrum ex ærugine, oleo ceràque conflatum acrimoniam non ostentat, fovet tamen in sinu rigida metallici Salis spicula, nec tanti est ea rursum prolicere. Verùm hoc habent quoque oleosa, ut partem muniant adversus irritantis injurias. Quòd autem oleosis obtundantur purgantium vires demulceaturque acrimonia, testem habeo experientiam: hic enim Opii Theriacæque commendatur usus; imo Emulsiones ex seminibus oleosis Amygdalisque ὑπερκάθαρσιν nimiosque salis istius motus

motus & ἐκτήξιας feliciter compeſcunt. Equidem non aliâ de causâ adeò Tragacanthinum Gummi ad Colocynthidis temperamentum quæſitum, quàm ut acre illud colliquans temperaret. Et Purgantium acerrima mollioribus vulgò induuntur particulis, oleoſis aut mellitis offis; nam & vidi qui Euphorbium ſolo melle domarent. At hic excipiendus eſt, quem dudum minaris, ictus, nimirum cum pingues oleoſæque particulæ ex noſtrâ hypotheſi omnibus adſint purgantibus, eſſe utique jam in ipsâ ſapâ remedium, quo retundatur acrimonia, ſalisque colliquativi, ſi ſic appellare licet τὸν τήκοντα, vis oblitcretur. Sed obſervandum eſt, hoc quod in ſapâ eſt oleoſi, ſalis quaſi eſſe mancipium ejuſque paſſim motibus parere, quod vel ex guſtu apparet: Ut aliud ſit Salem ab oleo temperari & deliniri, aliud oleum à ſale & acrimoniam & volatilem fugam mutuari: Olea enim Aromatum, Caryophyllorum, Origani, licet pinguia, ſunt acerrima; ſunt tamen olea, ſed à ſalibus ſuis elata ſpiculiſque perfoſſa; naturâ enim & ipſa eſſe fixa ſuprà demonſtrabam. Euphorbium Elateriumque copioſo ſcatent oleo, ipſa tamen hic ſalis ſpicula ſunt ſupra olei temperamentum.

Cap. XVI.

Definitur Purgantium acre quale ſit. Acre duplex. Salſum Acidum. Ignis acris propter utrumque. Acrimonia eſt figuræ modus, fitque vel Naturâ vel Artificio, ubique ignis ſeu motus beneficio. Salſum & Acidum acre ſubſtantiæ modo ab ignibus differunt vulgatis,

ſunt enim magis corpulenta minuſque mobilia. Nitri flamma à ſpiritu ſuo acido motu & ſubſtantiali tantùm modo differt: etiam Sulfuris flamma ab oleo ſuo acido. Naturalis acrimonia in multis manifeſta, in Aceto, Citriquè ſucco acida: in Algâ Vitrariorum ad oculum ſalſa lixiva: in Tithymallo, Euphorbio Thapſiâ & aliis. Lixivam ſalſam in purgantibus eſſe probatur ex ſanguinis colliquamento, quod purgantia inferunt. Ex guſtu & deſtillatione. Κενοῦν τήκειν, *apud Sophiſtam Theona.*

ACrimonia ergo eſt neceſſaria ad purgantium vehementium actionem abſolvendam; quippe quæ præter fermentationem, etiam Maſſam colliquent. Hoc verò acre, ne nos ſolâ qualitate fruſtremur, Salem nominavimus, corpuſcula ſcilicet acuminata & rigida, perque inſenſiles minutias in aqueum ſe humorem fundentia: acuminata, ut viſcidi diſtrahant tricas & attenuent; rigida, ne retundantur; liquabilia, ut humidi beneficio in minima deferantur & colliquent. Sed cum varia ſint acrium ſaliumque genera, atque in iis aliqua quæ ſibi mutuò opponantur, contrariaſque habeant agendi vires, inquirendum nobis erit, qualis potiſſimum in Purgantibus acrimonia regnet, ſed quam prius enodare neceſſe eſt. Acrimonia vulgò in multas diſtinguitur ſpecies, in ſalſam, inque amaram, in acidam, auſteram, & quas in Naturâ Calidi inſtantias Verulamius protulit. In his tamen ſalſa atque acida ceu præcipua acrimoniæ capita cenſenda ſunt; nam quæ vel amara ſunt vel auſtera, modo tantùm affectionis differunt, ſeu quòd oleum in amaro Salem deter-

determinet, ſive quòd terra in auſtero acidum adſtringat reddatque ori implacabile. Ignis autem ſublunaris per utrumque hoc acre exurit ſaliumque æmulatur acrimoniam, vel etiam ſuperat. Hanc autem acrium diverſitatem non ineptè aliqui νεωτεριζόντων ab acuminum repetunt pororumque modificatione; præter motum enim figuramque nihil adeo ſubſtantiam variat. Sed hic figuræ modus utrum Naturæ ſit an ignium accidens; nam acrium pleraque ignem experta ſunt, non facilè eſt dicere: Ego ut ignis eſſe maximè effectum probem, ſive in Naturæ ea ſit, id eſt, Terræ matris viſceribus, ſeu Vulcaniis Chemicorum officinis conflata; his imprimis experimentis adducor. Fumant Vitrioli Saliſque communis acerrimi ſpiritus motuque diſſipantur inteſtino; hoc certe ab ignium minutiis liquido tantâ vi inſertis, oleosâque compede detentis: ſulfur enim manifeſtè alit Vitrioli oleum. Ut verò ab eodem igne utramque & fluiditatis & acrimoniæ cauſam deducere habeas, continuatâ halituum ſucceſſione fluidum hoc in ſtabilem tandem Cryſtallum (uti Nobiliſſimus Anglus obſervavit) ſolidumque ſalem denſatur & in ſimul omnem, aſciticiam ſcilicet, ponit acrimoniam. Quòd ut artificio impetres, cum ſale denuo aut metallo committendum eſt hoc fluidum acre; protinuſque, eluctantibus ſe per effervefcentiam igneis particulis, Cryſtallus renaſcitur, Vitrioli inſtar, ſolida & temperata, quin etiam in Martis Vitriolo ſubdulcis. Sed ne dubites ignem hunc accerſitum eſſe atque ex reverberatione reſiduum, recenti Vitrioli oleo, ut à deſtillatione calet, aquam modo affunde frigidam, ſtatim, quaſi à ſale lixivo, oleum effer-

effervescet, igne per ἀντιπερίστασιν frigidam fugiente; nam, cum acidi rigidiora spicula, quibus ignis ille inhærebat frequens à recenti foco, per aquarum dividuntur spatia, igneæ illæ atomi in aërem ebulliunt, saliumque enervatur acrimonia; Ignis quippe est, ignis qui figuras corporum immutat immutatasque in congruum Organum impellit, non quà acris, sed quà mobilis. Deinde spiritus illos acidos ab igne, nisi motu, non differre hinc apparet, quod eodem illo Vitrioli oleo Sulfurisque per campanam facti panni & linteamina, ceu ab igne, adurantur. Imo sulfuris iste spiritus, pridem in flamma ignem, ab igne fumum, à fumo denique oleum referebat, illud per campanam. Sed de fixis lixivisque salibus non alia est ratio, nam & in eorum poros longo ignium flagello particulæ illabuntur volatiles, quæ ad humidi sensum acrimoniæ spicula huc illuc impellant. Sanè lapis Calcarius & Conchæ, quæ tamdiu exuruntur, manifestum probant ignis commercium; nam si aquam vitali, ut vocant, calci affundas, dissolventibus se per aquam salium minutiis, illaqueatæ prodeunt ignis particulæ aqueoque colliduntur elemento, à cujus contagio cum Naturâ abhorreant, se cum ebullitione in auram effundunt sensibili acrimoniæ detrimento. Aquæ autem ratione dissolvi salina corpuscula vel hoc ostendit, quod oleum, utut frigidum, Salem dissolvere ignemque evocare, id est, calcis vitalitatem extinguere nequeat. Sed acria per ignem agere eorumque spicula vibrari etiam hinc apparet, quòd humidi accessu, id verò est, spiculorum à se mutuò distractione ad agendum irritari debeant, secundum istud

Philo-

Philoſophorum. *Salia non agunt niſi diſſoluta*: Quaſi ignis ille inter ſingula ſpicula oberrans ſic demum carceres panderet acuminaque ſalium in partes propelleret; nam & Cauteria potentialia, antequam exedant urantque, ſaliva ſeu humido incitari ad officium ſolent. Artificialis igitur externæque acrimoniæ maxima pars eſt ignis: ſed num ideò quoque Naturalis? Jam inde initio rerum per motum impreſſas eſſe minimis naturalibus figuras ſpecificaſque differentias non eſt quòd ambigam; formata etiam tunc fuiſſe corpuſcula acuminata perque aquam diviſibilia haud difficulter perſuadeor: ſed ſine interiore ignis admiſſione ſenſibilem eſſe etiam naturalem acrimoniam ægrè crediderim, nec refert in terræ viſceribus an in foco ignem hauſerit. Acrimonia vero hæc ſenſui ſubinde innoteſcit, ſubinde fugit; fugientem principiiſque obrutam alienis ignis evocat artificium, cum removendo impedimenta, tum ſalium torquendo figuras; ignis enim carnifex obtuſiora per involventium elementorum ambitum latera acuminat, & in cuſpides propellit circulis exeſis. Et ut agnoſcas ſalium jam ante fuiſſe in corpore materiam, nullo ſanè artificio aut in oleum hanc acrimoniam aut terram ἄγαλον induces, ut objecti natura impreſſionem ignis determinet. Naturâ inſunt corporibus particulæ Salinæ, ſed acrimoniam ignis ſubminiſtrat; inſunt Acidæ, ſed acumen Vulcani commodant flagella; inſunt & Terræ globuli, hi indiviſam formam mediis in ignibus conſervant violentiamque omnem eludunt. De igne autem hoc quoque dicendum eſt, quòd & ipſe ſit acris ſæviatque eò magis, quò rigidis corpuſculis refertior in

 ſenſoria

ſenſoria impingit mobilis; quid enim ignis noſter ſublunaris aliud, quàm certa particularum craſſiorum, quàm olei ſaliumque cum lixivorum tum acidorum volubilis per elementare principium (*materiam primam*) agitatio: adeoque quod ejus acre eſt vel mordax, ſalinum eſt; at eò vis ejus eſt vehementior, quò impetuoſius per motum fertur; neque enim lædere ignem aut exurere exiſtimandum eſt, niſi corpuſculis ejuſmodi, ſalſis, acidis, refertum; ſed nec ſine oleo huic noſtro igni conſtare ille expanſionis motus videtur. Ut non malè, etiam per Chemicorum experimenta, ignem illum à materiâ ſuâ per elementum primum diviſione differre cenſeant novitii, quandoquidem idem ille ignis mobilis in tam ſolidum ferè fixumque corpus reformari poſſit, quàm fuit antè; ut fuligo demonſtrat culinaria à cæſpitibus, præter fixi ſalis & terræ aliquem defectum, nihil differens. Quin ut rectè ignis vulgò à centro ad ambitum corpora diffundit terrena, idque vocatur ignis; diſtentis ſcilicet inter ſe & à communi centro oleoſis particulis, quid dubitabimus, an ſic agitata olei ſaliumque acutorum fragmina motu illo ſenſum ſui faciant evidentiorem, quàm compacta & inter ſe connexa, ut ſalia lixiva ſpiritusque acidi ignes tantùm magis corporei minuſque mobiles cenſendi ſint. Nitri acidum in flammam latè detonans, quid differt ab acido ejuſdem ſpiritu, niſi motu? quid Sulfuris flamma acida à ſe ipsâ in oleum denſatâ? Equidem non aliunde pulveris Pyrii vorax deducenda flamma, quàm ab acidi nitroſi ſulfureique in carnem immiſſi acrimoniâ. Ut ego ignem urere abſque iſtis ſalium particulis improbabile credam;
cum

eum è ſubtiliſſimo & à ſalibus ſuis defecto Vini ſpiritu leviſſima prodeat & innocens pene flamma, quam ego inſenſibilem fore tum demum credam, quando omnem ſalis acrimoniam lingua excuſſerit, quò rem ſe deduxiſſe non vani Chemici gloriantur. Sed quorſum feror Chemicorum illecebris? In Purgantibus noſtris & ſtabilienda fuit & deſignanda acrimoniæ ſpecies. Natura autem, cum ubique & ad omnia ſubtiliore quodam Elemento ſeu igne utatur, non eſt ut inficiemur, in ejus quoque officinâ acerrima naſci utriuſque generis ſalia. In Vegetabilibus quot aceta, quæ vel metalla dividant. Ex Citro acidum Lapides erodit. Oxalis, quæ eſt Poëtæ *Lapathi brevis herba*, & alia ab acetis denominata manifeſtè probant acidum acre etiam Naturam ſudare. Deinde ſalſum acre Vegetabilium aliqua etiam ad oculum refundunt. Cluſius, in Hiſtoriâ Plantarum, *Alga*, inquit, *anguſtifolia vitrariorum, ſi paulò poſtquam collecta fuerit, ita ut eſt humida, diutius aliquantò ſervetur, in ſuperficie foliorum attentius ſpectanti ſal exhibebit candidum.* Et quanquam in omnibus non tam clarè ſe oſtentet, in Aromatis tamen Purgantibuſque guſtu facilè offenditur. Euphorbii Tithymallique acrimonia urit ſalis lixivi inſtar: utque naturâ jam fundatam acrimoniam agnoſcas, longè iſti ſales, ſi ad ignem exurantur, aliis omnibus ſunt acriores, deprædicante hoc quoque de Tithymalli cineribus Galeno. Salis autem purgativi acrimonia, niſi deliteſcat, ut jam antè vidimus, guſtu deprehenditur in pleriſque ignea; in plurimis autem, quando oleoſo velamine induitur, amara, quam qualitatem ex ſalſo oriri præter ſenſuum fidem etiam Galenus oſtendere

dere poſſet. In Argento amaritudo illa palam ſe ingerit; in Ære nonnihil quoque eſt acrimoniæ, ſed quia metallicorum principiorum arctior eſt unio, non mirum eſt in iſtis parciſſimè, in aliis nihil quoque acrimoniam innoteſcere. At cum diſſolvi ſanguinem macerarique in Purgatione conſtet, fluidum enim liquatumque ſine diſcrimine venæ ſectio oſtentat, hoc etiam non leve eſt argumentum ad ſalis lixivi demonſtrandam neceſſitatem: ſi enim in vivi animalis venam ſalem aliquem lixivum volatilem inſtilles, major toti ſanguini, etiam viſcidioribus ejus partibus, fluiditas minimorumque diviſio infertur; adeo ut grumeſcere vix etiam deprehendatur. Sed à fixo ſale hoc quoque exſpectari poſſe illi Sophiſtæ norunt, qui incraſſatum Martyrum ſanguinem calce vivâ aut alio lixivio maceratum, ceu miraculo quodam liquatum, ad plebem pelliciendam in ferculis circumferunt devoti. Hoc ergo ſal acrimoniæ verum ſubjectum, fundit in purgatione ſanguinem & colliquat. Quo quidem reſpectu non malè Theon gymnaſtes apud Galenum τὸ λύειν vel κενοῦν, τήκειν interpretatur, eſt enim profecto τῆξις aliqua & ſanguinis in purgatione tabes. Sed quemadmodum bilis etiam ſale ejuſmodi & copioſo perfunditur, in quo ἐκτήξεως ſymptomaticæque diarrhœæ præcipuum ſit fundamentum; non immeritò hic quoque à copioſiore acrioreque in purgantibus ſale, quo Euphorbium Elateriumque abundare deſtillatio evincit, vehementiores exſpectemus crudioreſque motus; cum vero cadaver Elaterii Reſinarumque purgantium, unde hoc ſal prolectum eſt, acrimoniâ & purgandi omnino facultate careat, hinc

etiam purgationis repetendam esse partem seriò urgemus. Verum ceu cætera nulla forent argumenta, sola fixatio salisque per contrarium acidum oppressio vim se purgandi huic maximè parti debere luculentè testantur; id quod inspiciamus.

CAP. XVII.

In salsedine lixivâ cum acrimoniæ tum purgandi vim contineri experimentis à contrario probatur. Salsi & Acidi lucta Effervescentia Chemicis, etiam Platoni cognita. Per Acida temperantur, enervanturque Purgantium vires. E Vomitorio fit Purgans, è Purgante Sudoriferum. Granum Cnidium, Gummi Indicum, Euphorbium Quercetani in pilulis ad pestem. Helmontii fulmen.

DUo sibi opposuit natura acria, Acidum Salsumque; hæc spiculorum pororumque diversitate mutuis motibus colliduntur & in congressu simul exæstuant, quem æstum aut salis cum acido luctam Effervescentiam Chemici vocant, tam in Artis Naturæque operibus frequentem, ut vix constet, an alio commistionis modo sæpius natura utatur. Certè in hominis generatione quanti ea effervescentia sit usus, à Platone discere potuerunt, qui hæc in Timæo fundit divina verba chemicâque digna trutinâ. *Hæc quum expendisset Opifex, aquâ quidem, igne & terrâ inter se commistis atque coaptatis, ex acido & salso conflato fermento,* ἐξ ὀξέος, inquit, καὶ ἁλμυροῦ ξυνθεὶς ζύμωμα, *carnem composuit succulentam & mollem.* Ergo per effer-

effervescentiam debellatis salibus temperamentum oritur etiam secundùm Platonem, quod hodieque Chemici in Salis Tartari & Olei Vitrioli misturâ demonstrant. Mirum autem hoc est duo acria tantùm à se viribus differre, ut commista continuò ferveant fervendoque invicem atterantur, succedente medio temperamento; id quod non ob figuræ modò sed materiæ primæ, ceu subjecti, diversitatem evenire non improbabile est, non temere salium altero lixivo validissimas respuente flammas, altero acido ad fluorem obsequente. Et licet figuræ materiæque modo differant, convenire tamen in acuminum rigiditate spiculorumque subtilitate crediderim; nam, ut mutuis se ictibus salia perfodiant communesque acies infringant, concertare undique par rigiditas minimorumque acumen debet. Cætera autem Elementa, Aqua, Oleum, aut deterere tantùm vel obducere partem aciei possunt, non infringere aut disjicere. Quare nihil adeo salis purgativi acrimoniam facultatemque expugnat quàm contraria cum acido effervescentia. Galenus, in lib. de compos. medic. per genera, metallicorum acrimoniam, sive in Terræ visceribus seu ignibus conceptam, acetis temperare vinisque acidis jubet. Quin Johannes Mesue auctor est granum Cnidium Esulamque Aceto macerata serrantem acrimoniam amittere, sale scilicet per acidum demitigato. Scammonium quoque aceto effœminari è Slegelii. M. S. Rhodius in Analectis monuit. Sed & Antimonium cum aceto præparatum non tantùm mitius agere, verùm etiam adstringere, oppresso per effervescentiam sale, diligens Chemicus & supra fidem verax Frater

Basilius

Baſilius Valentinus obſervavit; quem, etſi ante hos viginti quinque annos Johannes Petrus Faber Monſpelienſis Latinè reddiderat, cœpit tamen alterum Latio oſtentare & novum Theodorus Kerckringius, jam pridem ex Anatomicis cognitus. Ari purgativa acrimonia, decoctione ſolâ cum aceto enervatur eſtque impotens. Ellebori etiam radix ita accommodari temperarique aceto Scyllitico poteſt, ut ejus drachma dimidia ter de die ſine offenſa ſumi poſſit. Sed inſuper alia multa & blandiora ad aceta damnavit Galenicorum ſuperſtitio. Stultè autem hæc pro præparatis proque commodis venditantur medicamentis, genium profecto amiſerunt & agendi vim; neque immeritò acidi illa cum purgantibus miſtura & officinalis præparatio, (ſi præparare eſt, medicamenta εὐνουχίζειν) Chemicorum nonnullis ſuſpecta eſſe cœpit, Helmontiique fulmen non temere provocavit. Quid enim, quæſo, Scammonium commeruit, ut veneni damnatum carnifices Chemicorum manus experiretur? Quid Euphorbium, ut acido Vitrioli ſpiritu vexaretur, reciperetque ſic vexatum in Pilulas ſudorificas Quercetanus. Scammonium ſine ulla ejuſmodi enervatione per ſe in cremore tutiſſimum eſt. Euphorbium hodie Indi ad ardorem demulcendum Portulacâ tantum aut perſimili herbâ temperant, ne dicam ſolo Melle hic quoque terrarum ab aliquibus deliniri. Sed quàm infeſta ſint purgantibus acida, Salemque eorum omnem efferveſcentiâ exſtinguant, vel hinc conſtare arbitror, quòd dominantes in corpore ſucci acidi, ſive in Quartanæ initio ſeu Hypochondriacâ affectione, purgantium perſæpe acrimoniam facultatemque

enervent,

enervent, aut è vomitorio in temperatum purgans præcipitent, ut in gummi Indico observavimus. Cum vero acida sanguinem condensent, etiam sic Purgantium viribus solutionique medicatæ obluctari, ipsumque frigus, febrium creber prodromus, cum figentibus constet acidisque particulis, humorum retardare motum venarumque constringere fibras poterit: ut vel ideo intenso frigore duplicandas habeamus Purgantium doses.

CAP. XVIII.

Refutantur objicientium argumenta, ab acidis potius Purgantium vires acrimoniamque excitari. Oxymeli Hippocratis Elleborum impellit. Ἐλλέβοροι pro uno alboque Elleboro. Mercurius quomodo acidis efferetur. A salsis autem lixivis, sale Volatili, Tartari fixo Purgantia temperentur & corrigantur. Acida per Effervescentiam Purgantia enervant. Salsa lixiva per fermentationem.

DIfficultatem hic non levem Practici nobis movent, negantque ab acidis purgantium vires debellari: Tartari quippe Vitriolati Cremorisque copulâ nihil magis adjuvare purgantium ignaviam, spiritumque Salis aut Vitrioli in Electuaria non ineptè addi: Arabum hic quoque fidem obtestantes, Acetis mulsis incitantium purgantium facultatem. Sed antiquum est, fateor, & felix aceti mulsi cum Elleboro conjugium, Hippocratesque jam olim cum Elleboro albo propinavit: cujus, ecce, propino tibi verba ex illâ de Elleborismo ad Demo-

Democritum Epiſtolâ. ὡς δὴ ἔφλω, ait, περὶ πλευσάνης, σησαμοειδὲς ἄνω καθαίρει, ἡ πόσις ἥμισυ δραχμῆς ἐν ὀξυμέλιτι τετριμμένα. Ξυμμίσγεται δὲ καὶ τρίτον μέρος τῆς πόσιος καὶ ἥσσον πνίγει. Hippocratis igitur eſt, Seſamoides ſurſum purgare, cum hic, tum conſtanter libro de Ratione victus in morbis acutis. Et cum in hoc quoque ſe facilem præbeat Galenus, neſcio quid Straboni, quidve Plinio per Strabonem decepto in mentem venerit, ut nigro jungi Elboro Seſamoides ſcripſerint: cumque Plinius Theophraſtum in multis aliis auctorem habeat, hic defeciſſe ab ingenio mirum eſt. Is libro nono majore veri ſpecie Elleborinen interpretatur & albo addi, quò melius vomitio procedat, apertè ſcribit. Nec dubitandum eſt, quin hoc Seſamoides aceto mulſo maceratum tardam cæteroquin morantemque Ellebori vim feſtinet: unde etiam hodie cum Oxymeli vel alîus acidi miſturâ vomitionem auſpicamur Medici, quòd & acuminis mellei ratione potenter phlegma extenuet; inque venas medicamen citius abripiat. Sed deceptus meo judicio Strabo videtur, quòd ἐλλεβόροις ſcripſerat Hippocrates plurativo numero, ne ad unum modò, Emeticumque reſtringatur; ſed malè & ipſe, nec ſubtiliter ſatis Foëſius in ſpeciem tranſtulit, quod in frequentem iteratamque unius albi potionem rejici debuit, inducente hoc maximè numeri poteſtate. Sed, ut ne de nigro intelligamus, Seſamoides prohibet, ad nigrum enim tantùm conducet quantùm ad inferius guttur expurgandum vomitorium. Certè toto opere frequens ἐλλεβόρου mentio, &, niſi de albo, non intelligenda ejuſque repetito uſu. In Epidemiis Hiſtoria VII. φλεβοτομίη γέγονεν, ἐλλέβοροι, γαλακτοποσίαι.

 Sed

Sed quid Aphorismo isto clarius Sectione quartâ. πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηιδίως ἄνω καθαιρομένοισι πρὸ τῆς πόσιος προυγραίνειν δεῖ. Quò imprimis spectat, quod de Peplio Sexto Epidemiῶn. Sect. VIII. ὁ μελαγχολικὸς, ὁ Ἀδείμαντος ἀπὸ πεπλίων πλειόνων ἤμεσε ποτὲ μέλανα. Non species intelligit, sed frequentatas unius Peplii potiones. Elleborus itaque hic albus & Sesamoide & Oxymeli adjutus citius meliusque corpus perstringit quàm se solo. Raphanum quoque Galenus cum Oxymeli præparare jubet, neque ego dubitem, quin vis sit futura validior, exæstuante cum sale purgativo acido, inclusumque protrahente hoc æstu. Paulus etiam Squamæ æris acetum misceri voluit, quò citiùs bonus plenus deblateret rusticus. In Germaniâ hodieque ruricolarum ludus, æneâ pilâ maceratum noctu acetum mane ad vomitionem bibentium: scilicet eò facilius celeriusque hoc peragitur, quò magis cum acido effervescunt metallicæ particulæ, atque exagitantur. Quid deinde aliud Oxymeli Julianeum apud Paulum, quam ignavorum aliàs Purgantium per acidum excitatio? Judæi quoque apud Mesuen experimentum est, Agarici impotentiam Oxymeli oppidò adjuvari. Sed, si bene calculum ponimus, brevis est hujusce præparationis & momentaneus vigor, quippe qui cum tempore collabascat: dum enim sal isthoc purgativum cum acido effervescit varièque impellitur, exsilientium particularum seque exsolventium vehemens est impetus; at cum deferbuit contrarioque temperamento desæviit acumen, enerve corpus effectum destituit. Sinapi semina modicè acria aceto perfusa longè jam acriorem produnt misturam in *Mostardâ*, sed hæc acri-

monia biduo fatiſcit. Caſtorium ſe ſolo fœdum olet, verùm cum acidis permiſtum adeo invaleſcit, ut ſoporatos Lethargo mortales reſuſcitet, vincatque halitu Ammoniaci ſalis ſpiritum; ſed tandem in neutrum impotenſque mixtum degenerat, cujus odore nihil aliàs eſt conſtantius. Unde intelligi poteſt, quid Practicos permoverit, ut acida, ſive, ut plerique vocant, adſtringentia, Purgantibus jubeant admiſceri, ipſeque Dodonæus adſtringentia ſæpius acuere intendereque purgantium vires ſcripſerit. Evocant certè promptius Salem illum, præcipuum ſapæ purgativæ elementum, quàm alia quæque; ſed etiam efferveſcunt vindicantque hoc motu Salem, ipſo hoc momento efficaciſſimum, ceſſante autem motu, vapidum inutileque pondus. Quare ab officinis removenda ejuſmodi vegetabilium præparatio. Metallica autem, quorum elementa arctiſſimo inter ſe vinculo ſunt connexa, non tantum patiuntur ab acidis injuriæ; ſed ſoliditate rigoreque ſui ſalis, acido, niſi cum acerrimum fuerit, ſe opponunt. Itaque non immeritò Martem aperitivum cum Sulfuris ácido præparatum inter Purgantia numeramus pyxide & titulo digna. Antimonii etiam Crocus cum Nitro ſemel exuſtus pro Vomitorio in officinas recipitur, ſcilicet, tantum unâ detonatione efficere Nitri acidum nequivit, ut intimatum ejus in ſulfure ſal aut penetraretur penitus, aut ſuperficiariâ quaſi flammâ fixaretur, ſiquidem ita amant loqui; rigidiore itaque quæſtione opus fuit & tertiâ cum nitro exuſtione, perreptante demum ita acido & ſulfur conſumente flammâ. Sic quoque non primo protinus æſtu aut fixan-

tur opprimunturve in Lunæ Martiſve Cryſtallis ſal ſulfurque purgativum, ſed acido excipiuntur, donec nova efferveſcentia ignisque repetitum fulmen intactum primò ſulfur combuſſerit ſalemque ſuis ſolidiſque partibus illigaverit: hoc enim per ignem quoque fieri poſſe Mercurius Vitæ demonſtraverit, qui in Phialâ balneo expoſitus longâ tandem exuſtione è vomitorio in purgans præcipitatur: equidem prima efferveſcentia reſolvere ſulfur purgativum, ſed, propter connexi ſalis rigiditatem aliorumque elementorum contumaciam, non planè devincere potuit: quod oſtendit alter ille Nitri ſpiritus, acerrimis omnium ſpiculis crudum hunc & intactum à Vitrioli acido ſalem omnino expugnans figenſque in Bezoardicum minerale; ut tandem intelligas in acido, ſed acerrimo, metallici ſalis ſulfuriſque quærendam eſſe fixationem. Verùm Mercurii vivi alia eſt ratio, acidorum enim ſpirituum miſturam peculiari fato abnuit, neque efferveſcit Martis inſtar vel Antimonii; nam in Præcipitato Sublimatoque multò jam eſt ſe vivo ferocior, eò quòd purgativæ acrimoniæ contraria accedat ab acido & corroſiva, cumque illius reſpectu alvum ducat, hujus maximè vitio moleſtam facit & laborioſam purgationem; quod non contingeret, ſi debito hic temperamento cum ſale ſuo acidum coaluiſſet. Sed jam hoc quoque ingeris, non tam acida quàm ſalſa lixiva, quæ ego Purgantium incentiva eſſe haud ita pridem credebam, vehementium medicamentorum debellare vires, adeoque, quiſquis eſt, ſalem figere poſſe: quod enim de Mercurii vitæ temperamento monebam, id æquè feliciter Tartari ſale aliiſque confici.

Atqui,

Atqui, cum acidum Antimoniali ſulfuri in ſcenico illo vitæ Mercurio intimatum ſolâ aquæ lotione abſtergeri nequeat, ſalis hujus contrarii & penetrantiſſimi additamento, ceu menſtruo quodam, facilè perfodiuntur iſtæ ſulfuris particulæ, Sublimatique acidum efferveſcentiæ quodam motu exſolvitur, figente quoque hoc motu & nonnihil intorquente ſalis metallici figuras, quemadmodum in fixatione fieri ſolet; mutationem verò ejuſmodi hic oriri nidor ille ſatis indicat ad digeſtionem Mercurii illius cum ſalis Tartari oleo exſurgens. Muria etiam, id eſt, ſalis miſti ſolutio coercere hanc Mercurii vitæ ferociam poteſt, efficacius enim hæc quoque, quàm mera aqua, acidum abluit ſaliſque intorquet acumina. Nunc & Antimonii Cinnabaris cum lixivio decocta, indeque novo aceto extracta deſtillataque, facile elargitur blandumque purgans. Sed ulterius te protrahis, experimentumque cum à Rhabarbaro tum & Elleboro repetis, quæ ego quidem ſalis Tartari digeſtione enervari oſtendenti tibi lubens conceſſerim: verùm cum digeſtio illa ſit eaque potiſſimum in foco fiat, quidni excurrere volatile, adjuvante pororum recluſionem ſale, petenti mihi tribuas. Adeo ut, cum ab acido Acre purgativum efferveſcentiâ debelletur, à ſalſo verò τὸ Volatile ceu tabe quâdam ex ſapâ exſolvatur, ad ſinguli ubique & neceſſarii principii defectum communis Reſinæ forma facultaſque depereant. Utque intelligas, quàm facilè ſulfurea Alcaliſato ſale recludantur, ad viſcidorum ſolidorumque corporum fermentationem augendam Sale vulgò utuntur Tartari, macerantiſque aquæ emendant impotentiam. Aloe, ad conficiendum Elixir

Proprietatis, cum salis Tartari oleo balneo vaporis exposita, putredinem suam volatilisque fugam fœtore impudico testatur; quare hoc ego Elixir minùs purgativum esse, quàm illud cum acidis confectum, facilè inducor. Imo omnibus Resinis succisque plantarum & ipsi Opio familiare est, ad digestionem lixivam Volatile suum efficaciæque partem amittere. Sed eadem est Salis volatilis ratio, nam si Purgantium extracta aut Sennæ folia in salis Ammoniaci foveas spiritu, tum hoc ipso purgandi imminuitur facultas; mitiorque est longè Ellebori aliorumque purgantium operatio; unde vehementioribus in virulentiæ temperamentum Sales Volatiles, aut Ammoniaci illum aut Succini, accedere cum ratione persuadeor, sed necesse est subigi antè macerarique digestione; quæ enim protinus cum salium additamento in venas transeunt, eorum quidem, propter effervescentium mutuò partium expansionem circulationemque à centro, in ipso sanguine motus est vehementior. Igitur quæ ignava sunt naturâ, Volatilique gaudent abstrusiore, in actum deducere salibus lixivis oportet, carcereque oleoso emancipare; sanè levioribus istis & tardis, uti Agarico, Aloæ, Salem Tartari aut Absynthii, statim ut assumuntur, cum emolumento sociamus: cæterum uti vehementiora illa temporis morâ ab hisce salibus temperantur, ita hæc, sponte invalida, penitus enervantur agendique principium amittunt, cujus rationem ab operationis diversitate repetendam esse ego mihi quidem persuadeo; dum enim salia ista lixiva resinam sive oleum sapæ liquidi beneficio attenuant, impeditum intra ejus tricas Volatile in

libertatem vindicant, motuque certo excludunt, quod ex putido illo Aloes fermentatæ fœtore cognoſcitur. Adeo ut, quæ poſt aliquam iſtiuſce actionis moram adhibentur medicamina, amiſſo volatili principio inertia ſint futura & caſſa, quæ verò ſtatim à miſturâ illâ, propter impetuoſam elementorum exſolutionem, vehementia. Sed quemadmodum Salſa hæc lixiva fermentatione quadam & putredine purgantium vires exſolvere probabile eſt; ita Acida contrario concentrationis effervescentiæque motu Purgantia enervare, in ipſo autem æſtu exacerbare, argumentis non adeo levibus inducor. Jure itaque & illa, quæ propter ſalis ſui intempeſtivam acrimoniam effervescentiæ temperamento opus habent, poſt elapſum demum motum temporiſque moram utilia erunt, ut metallicorum pleraque; quæ verò reconditi ſalis eductionem novumque vigorem poſtulant, protinus à miſturâ acidi profutura ſunt. At ſali huic τὸ Volatile intimè connecti, utrique autem oleum, hinc conſtare videtur, quòd per effervescentiam, id eſt, Salis & Acidi infeſtos motus, idem hoc volatile figere, quippe in Vomitoriorum retundendâ vehementiâ fixationem tantopere crepant Chemici, aut potius, ex Foſſii mei mente, ligare facilè poſſimus, hoc verò ipſo olei quoque inflammabilitatem tollere. Equidem ut per volatile oleoſumque Sapæ Salis diffunduntur particulæ, ita per hujus concentrationem, utriuſque rurſum impetus expanſioniſque conatus retinetur. In metallicorum autem plurimis, adeo propter intimam Elementorum unionem edomare hoc Salſum Volatileque Acido poſſumus, ut contrà cum tempore ad ingenium re-

 deat,

deat, priſtinamque induat vomendi ferociam; ut in Antimoniatis manifeſtum eſt. Ex quibus omnibus cum ratione colligimus, ſalem aliquem, ſive volatilem ſeu fixum, ad communis Sapæ formam concurrere, neque ſalem tantùm, ſed etiam oleum, indicatumque nuper volatile; omnium verò ad eundem finem eſſe ξύῤῥοιαν μίαν, ξύμπνοιαν μίαν.

CAP. XIX.

In omnium itaque miſturâ, Oleoſi, Volatilis, Acris, Purgantium conſiſtere formale, ita tamen modificatâ, ut ejus indiviſibile aut numeros attingere humana acies nequeat Fermentare equidem & Attenuare ſanguinem communia eſſe vehementium Purgantium Accidentia, ſed prout hujus illiuſve principii communiſque nexus major eſt varietas, ita potentiùs hoc facere; neque tam ſpecificâ formâ quàm gradu à ſe mutuò differre: á Vomitoriis verò, quòd in his omnium perinde principiorum, maximè autem volatilis, majus ſit acumen; à Lenitivis, quòd in horum miſturâ, non tam acre quàm volatile ſuperficiarium emineat.

VErùm inſtet hic fortè quiſpiam nodique inexpediti ſolutionem exſpectet, quâ ſcilicet quantitate aut quo ad amuſſim modo Elementorum hæ ſibi ſpecies occurrant, communiſque Sagæ moderentur formam. Si quid eſt, hoc ſanè eſt, quod ego Scholaſticos detinuiſſe noſque etiam detinere confido, ipſa, inquam, rerum modalia; de quibus jam dudum increbuit

increbuit acuta Philoſophorum ſanna, *de modalibus non guſtabit Aſinus.* Et licet noſtrum hoc ſeculum ingenii aciem quocunque extendat & in minima corporum penetret, hi tamen ipſi minimorum Antiſtites ita aliquando particularum ſuarum tricis impediuntur, ut attenuata pari minimorum fato rationis ſubtilitas in fumum abeat, ſintque incertiores paulò quàm antè: prona enim nimis eſt & proletaria in partium diſpoſitione & figurarum inconſulto ordine excuſatio. Sed non temere eſſe deſignandas figuras & ipſe cenſeo, cum rerum cum primordiis ſuis, effectuumque cum rebus connexionem indubitatumque reſpectum deducere non tam humani videatur eſſe ingenii, quàm unius omnium Architecti, Dei. Neque enim dubitandum eſt, ſi primordiorum nobis modaliumque conſtaret ratio, quin & corporum hoc ipſo ſpecies ſpecificaſque formas, vel ipsâ cogitatione, ſiſteremus ſolidas. Sed largiamur hoc, emicare quaſdam in minimis figurarum partes, an verò ideo protinus mutui figuram inter effectumque reſpectûs ſumus conſcii? Ex iſtis autem, quæ ſe in ſalibus cum fixis tum volatilibus oſtentant figuræ, in quibus adeo triumphant Atomiſtæ, non magis quàm à Cryſtalli angulis aut Cubi agendi vim dependere certiſſimum eſt: non enim ſunt interioris iſtius vel actualis formæ, ſed vanæ duntaxat accidentaliſque contingentiæ rudimenta. Quis ſe oſtenſurum ſperet Urinæ ſalem volatilem propter manifeſtum in coagmentatione minimorum Cubum, Dyſuriam; Salem Cornu Cervini ob Parallelipedum, Paralyſim; Sanguinis humani in Rhombo, Epilepſiam; ipſumque ſi placet, Succini Salem in Cono ſudo-

rem pellere, ſingulaque hoc potius quàm quod-vis figuræ facere auſpiciis. Certè uti hoc à figu-ris deducere impoſſibile eſt, ita, ſi à principiorum miſturâ ſinguliſque eorum affectionibus repetas, æquè hoc tibi laborioſum futurum ſit, quàm ſi Herculi clavam extorqueas. Una equidem & communis eſſe nota principii affectio poteſt, ſed non poteſt numerica illa ſingulorum & in parti-bus differentia. Exempli cauſa, ut in Purgan-tibus acrimoniam demonſtremus, ſatis eſt hoc à corpore deduxiſſe ſolido & acuminato, qua-litatem à ſubſtantiâ. Cum verò tam diverſa paſſim ſit in hiſce acrimonia, quis jam varietatis iſtius formam, ſiquidem in principio conſiſtit, aut figuræ modum, alio quàm qualitatis titulo, receptioniſque, ut ſic dicam τὸ magis & minus expediat, aut, quò plus inſaniat, in formam rejiciat ſeu diſpoſitionem ἄῤῥητον. Ab Elemento-rum autem miſturâ nata qualitatum varietas aut effectuum notior ideo eſſe poteſt, quòd Chemi-corum nos Analyſis in arcana compoſitorum admiſerit, elementorumque congredientium quantitatem utcunque revelarit; attamen in hoc quoque numerici aliquid latere, indivi-duum formæ comitem, mea eſt ſententia. Diſ-ſolvit Purgantium Sapam Analyſis in oleoſum, volatile, acre, ad communen formam ef-fectumque ſymbolam conferentia ſingula, ne-ceſſaria autem omnia, quod in Elementorum quodam diſſidio molatiliſque expanſione purga-tionem conſiſtere exiſtimem, Artis ubique æmu-latione inductus. Licet enim totius miſti con-fectio artificum induſtriam fugiat, adſpirat ta-men in Balſamo ſulfuris Aniſato & Sale mola-tili oleoſo. Sulfura autem metallicorum, cum in

in ipſo jam antè corpore fuerint, à Chemicorum manibus formam accipere dici non poteſt; non enim eſt novi purgantis confectio, quando è Vitriolo aut Marte Vomitorium Catharticumque ars concinnat, ſed obſiſtentium modò principiorum ſeparatio, eductioque, ſi placet, è potentiâ materiæ. Sed reſpectu unius alteriuſve principii à ſe ipſis quoque different Purgantia, licet totius miſturæ ratione conveniant; ab aliis autem Evacuantibus cum miſturæ tum elementorum modo. Notandum itaque eſt, Purgantia, quæ & ſubitò ſanguinem pervolant validèque dividunt, ea & Volatili potiore & Acriori præ aliis Sale abundare, diſtingui adeoque à ſe ſecundùm magis & minus, cujus ſubſtantiale figuræque modum vis eſt ut definias. Quando autem hoc à principii unius intenſione graduali repeti poteſt, omnino in ſingulis purgantium ſpecifica aliqua aut forma aut differentia fruſtra & reluctante naturâ deducitur; ne proinde Electionem hic quærant anticipatæ mentes, humorumque variorum eductionem à ſpecificâ formâ urgeant, quòd à gradu & modali exſpectari potuit: ſed hoc alibi fusè oſtendemus. At verò hanc ipſam qualitatem gradumque affectionis in eodem principio miſturæ quoque ratio variat: Acrius enim aliud alio eſſe poteſt aut Volatilius, reſpectu oleoſæ compedis aut ſolidioris ſalis. Quemadmodum, ſi in omnibus eundem ſalem agnoſcamus, temperatis pariter & acerrimis, tamen pro oleoſi miſturâ, idem hoc & commune omnibus principium, vel acerrimum evadit, ut in Thapſiâ, Euphorbio, Elaterio & aliis; aut acre tantùm, ut in Scammonio, & Jalappâ; vel denique inſipidum & ἄποιον, ut

in

in Gummi Indico & Metallicis copioſo ſulfure gravidis. De Volatili hoc quoque monendum eſt, quòd, quò pluribus iiſque fixis elementis ſocietur, magis aut minus volatile dici; quòd enim per tot annos incorruptum ſervetur Elaterii volatile, involucri eſt oleoſi culpa, cujus reſpectu fixum magiſque conſtans cenſetur medicamen, quamvis volatilis ſui acumen fermentatione, i. e. ſolutione oleoſæ compedis, abunde teſtetur. Sed etiam à principiorum quantitate definiri poſſe Purgantium mutua differentia videtur, quæ enim pluſculum Volatilis acceperunt cæteris elementis incluſi, ea fermentabunt potentius, ut Scammonium, Jalappa; quæ Acris permultum, in attenuando erunt efficaciora, ut Thapſia, Euphorbium; quæ verò Oleoſi plurimum, in efficiundo impotentiam ultro arguent, uti Aloe & alia; in quibus verò omnium perinde principiorum æquale acumen, vehementiſſimus erit ex omni parte impetus, ut metallicorum. Jam hæc Purgantia, utrum à Vomitoriis aliter quàm gradu differant aut principiorum quâdam exaltatione, videndum eſt: levis ſanè circumſtantia vomitorium variat vertitque in Purgans. Aſarum Ebuluſque ſolâ ebullitione in auram evaporant Volatilem partem, vomendique vim amittunt. Gummi Indicum ſolâ diſſolutione in Vini ſpiritu & præcipitatione cum Roſarum aquâ è vomitorio in placidum purgans degenerat. Etiam Meſue notavit Armenum lapidem ſolâ lotione miteſcere & è vomitorio in purgans tranſire. Et de eodem lapide fidenter Fallopius libro de Foſſilibus & Metallis cap. 32. *Quanto*, inquit, *magis eſt ablutus, tantò minore cum moleſtiâ evacuat; &*
certè

certè in furore illo Melancholico præstantissimum est medicamen, si autem velim ciere Vomitum, exhibeo non lotum. At in istis, cum pondus etiam totius constanter remaneat, non est, ut hoc à defectu alicujus Elementi solidi repetamus; sed neque ea est menstrui, aut Vini spiritus aut aquæ violentia, ut à mutato partium contextu, verùm à volatilis duntaxat & subtilis elementi fugâ. Et ne longè quærendam esse hanc differentiam appareat, Ebuli Juli & Stolones, referente apud Scroderum Portâ, si in decerpendo sursum vellantur digitis, vomitum ciere; sin deorsum humum versus, mirabili Charactere alvum tantùm ducere inferiorem solent. Despexeram hoc ego diu ceu anilem fabulam, cum ecce & ipsa Experientia gravissimorumque virorum auctoritas cunctantem confirmarunt, atque in his nuper ad causam reddendam ultro se invitavit Athanasius Kircherus. Sed ante quem dudum Platonicus ille Ficinus, in suo de valetudine tuendâ libro scripserat. *Elleborus ejus proprietatis est, ut, sive folium deorsum trahas, sive sursum, tum subitaneo tactu credatur fieri, ut vel sursum vel deorsum humores educat.* Simile quid de Chamœdryos radice, nisi corruptus est locus, Theophrastus lib. IX. Historiæ Plantarum cap. X. τὸ δὲ, inquit, τῆς αὐτῆς ῥίζης, τὰ μὲν ἄνω τὰ δὲ κάτω καθαίρειν θαυμασιώτερον: id quod etiam de *Apii* radice ipse prædicat, sic enim appellandum esse, non *Pyrum*, ut Gaza vertit, Pauli Æginetæ conceptissima verba ostenderint lib. VII. cap. X. Quem latinè loquentem per Guintherium observa. *Narcissi, ait, elixi sursum per vomitum purgant. idem facit Apii radicis pars superior, aeri propior, comesta, vocant eam nonnulli*

nonnulli Chamœraphanum, inferior autem pars per inferna purgat. Hæc Apios Theophrasti, Dioſcoridis Tithymallus tuberoſus. Fortè, quæ in ultimâ radice principia ſunt crudiora & impermiſta, cum adoleſcentibus tandem radicum fibris coaleſcunt volatiliſque patiuntur in ſummâ radice conjugium, cujus rurſum diſſipatio herbam relinquat impotentiorem. Imo ut ſcias acrimoniæ tantùm ſubtilitatiſque gradu Vomitoria à Purgantibus differre, uno acidi inſultu Emeticam iſtam vim in Purgativam reduci Antimoniata teſtantur, iterato ejuſdem acidi impetu in vappam degenerantia; quò idem Purgationis Vomitioniſque eſſe principium ſed modaliter diſtinctum videatur. In Electuario Antimoniali Crollii ipſum Vitrum Antimonii ſolo aceto deſtillato Theriacæque & aliorum miſturâ in Purgans vertitur blandiſſimum, quod ſuo ſe experimento didiciſſe mihi retulit Rohtenbekius, Medicinæ ſolertiſſimus cultor. Quemadmodum autem in decoctione volatile diximus emitti miſturæque formam inverti, ita hic ſalis concentratione acre deficere volatileque figi credibile eſt. Sed hoc quoque arguit vomitoriorum eſſe inter ſe & purgantium convenientiam diſtinctionemque, ſi qua eſt, modalem tantùm quòd mutuis obſequantur motibus, alterumque in alterius caſtra perfacilè tranſeat. Equidem vomitorium in purgans degenerare ſociique naturam ſequi inter experimenta frequenter vidimus, determinato ſcilicet temperatoque à potiore purgante vomitorii acumine. Gummi Indicum cum Electuario Hydragogo aut Jalappæ Reſinâ propinatum inferiorem duntaxat alvum purgat, cum naturâ vomitorium eſſet. Sed &

pro

pro Temperamenti ratione humorumque objecto in ipſo corpore, ſi aut ſero nimium diſſolvatur aut acidi acumine, in purgans præcipitari idem hoc Gummi, non eſt inſolens; quò vel leviſſimâ hoc fieri de causâ agnoſcas. Etiam ex Antimonio poſſe ejuſmodi ſpiritum prolici, ſulfureum planè, ex humorum ingenio corporiſque patientiâ, modò vomitus, mox alvi ductionem, ſubinde quoque ſudores cientem, teſtantur Chemicorum artes; vidiſſe enim ſeſe talem Romæ Foſſius mihi retulit, ſcioque ego ex Auctoris fide talem ex Antimonii Regulo beneficio aliquot ſalium evocari poſſe, inſignem panacæam. Ut timidè nimis ad, neſcio, quæ ſecreta myſticamque cœli proprietatem Fallopius recurrat, & ſpecificam quandam formam in diſtinguendo utroque, purgante & vomitorio, ſollicitet. Levi hæc tantùm & graduali diſtinguuntur ejuſdem principii intenſione; exaltari enim magis in vomitorio cum ſalis tum volatilis acumen credibile eſt, quæ denuo vel acido mitigata aut calore evaporata juſtum reddunt debitumque purgantibus principiorum temperamentum, ſed, promotâ ulteriùs quæſtione, tandem quoque iners pro acumine corpus. Hoc ergo à vomitoriis, ſed à lenitivis differunt Purgantia, quòd cæteris ferè invalidis, unum tantùm in hiſce principium dominetur, Volatile, Acre aut Oleoſum, quæ cum ad unum omnia certâque in quantitate juſti purgantis ingrediantur eſſentiam, hæc non immeritò Lenitiva dicta ſunt, id eſt, leniùs purgantia, ſed ego etiam, per accidens dixerim; requirunt enim προενυπάρχον τὶ certamque in maſsâ diſpoſitionem; ſive facilem humorum fluxum, ſeu obſequentem, ad
levio-

leviorem fermentationis divisionisve motum, separationem; quippe si tenax est humorum propter visciditatem aliamve rationem conjugium, lenitivis hisce aut per accidens purgantibus divortium vix impetres. Igitur quod vehementia purgantia, quæ vulgo *Electiva*, per se & ex omni parte faciunt, hoc lenitiva per accidens & ex parte tantùm, eâ scilicet, quæ in subjecto dominatur, sive volatilis sit, seu acris, seu denique oleosa. Ubi volatile regnat cæteris elementis sed mitioribus intermistum, fermentationem tantùm, id est, justæ purgationis partem exspectare possumus; levia hæc sunt & turbare potius ventrem quàm solenniter purgare existimandum est. In hoc censu non Mannam modò aut Cassiam Tamarindosque, sed cunctos omnino fructus horæos, quos horarios vulgò ineptè vocant, repetam; uno enim omnes modo uniusque principii respectu purgant, Volatilis, inquam, ταρακτικȣ. Hoc in aliorum elementorum sinu reconditur & aquæ utitur vehiculo; frequens enim liquidum his quoque conjungitur, quò facilius fermentationem, aut si placet, putredinem mistura concipiat. Liquidum autem, non refert, an genitale sit & connatum, an verò aliunde advenerit; dissoluta enim novo & alieno liquido Vini sapa, ad musti ingenium redit, ventremque perinde turbat. De Mannâ quidem nullum est dubium, quin multum contineat fluidi Roris, ex rore enim Calabro densatur; ut mirandum non sit, quæ roris est, eandem & Mannæ naturam esse. Sanè Ros etiam constat variis elementis volatilique æthereo abundat, quod ad minimum externi fluidi calorem putrescit, atque in vase coactum ebullit.

Cassiam

Caſſiam quoque non alio quàm ſpiritus volatilis impetu ſanguini fermentum, & ex fermento ſeparationem incutere, ex eo apparet, quòd admiſsâ jam putredine, perditoque volatili turbare alvum nequeat. Quare prudenter Alpinus ab aeris, imprimis calidioris, injuriâ defendi Caſſiam voluit & à corruptione ſervari: corrupta verò aceſcit, aut emiſſo vel repreſſo reverberatoque intra acorem ſpiritu. Non autem inutile eſt Fallopii monitum, in ipſo ligno plus reſidere facultatis purgativæ quàm in pulpâ, adeoque Caſſiam tractam ſiliquarum ramentis plenam, ipſo flore & ſuadâ medullâ efficaciorem eſſe. Tamarindi verò etiam, utut placidiſſimæ aciditatis, volatili quodam purgativoque ſpiritu perfunduntur; hic enim, dum ſe ad caloris ſenſum & aquæ vehiculo aliiſque principiis nititur evolvere, viſcidiorum partium repreſſus anguſtiis, hinc elementi ſubtilioris inflatus materiâ, turbat neceſſariò fermentatque miſturam & proximo cuique fluido contagione quadam impertit: ſed de quo infrà accuratius. Eſſe autem à parte potiſſimum volatili repetendum hunc motum Bartholomæus Maranta evicerit. Is enim lib. 3. meth. cognoſc. ſimpl. obſervaſſe ſe ſcribit, igni expoſitos Tamarindos protinus amittere partem volatilem, quodque acidum antè, propter volatilis ſocietatem, purgativum erat, mox deſtitutum hoc ſpiritu adſtringens evadere & valde terreum. Sed &, ſi humido frequenti pulpam interluas, ad putredinem ſe ſubducit hoc volatile, inque miſtum degenerat vapidum & impotens: ut non malè pulpam hanc, ſive uvam fibris ſuis aciniſque permiſtam tranſmittant ingenui Mercatores, temperamento hoc ſiccita-

 tem

tem maximè, & cum ſiccitate volatilis purgativi moram protrahente. Utque ſimilem fere Elementorum in hiſce miſturam agnoſcas atque in Muſto eſſe ſolet, Tartarum perinde ſuum refundere Tamarindos certum eſt, & acidum & aperitivum, cogitur enim tum intra Cryſtalli latebras Volatile. Quare ab acido deduci non potuit Tartari, ſi qua eſt, facultas purgativa, ſed à repreſſo, meo judicio, innutritoque intra ejus centrum volatili, quod accedente calore, etiam in Tabernis vinoſo odore difflatur. Fructus verò horæi eoſdem omnino patiuntur manes, quos aut Caſſia aut Tamarindi, putredineque quâdam maſſam perturbant: Muſti autem inſtar, quodcunque eſt in horæis, ἐκζεῖν καὶ ταράττειν, vel illi ſucci argumento ſunt, qui pomis aliiſve fructibus prolecti ſub fermentatione, id eſt, volatili ebulliente, alvum valde detrahunt, & in Choleram ſubinde præcipitant fatalem; ut in ſuo ſæpe *Pomace* Galli experiuntur. Sed quemadmodum iſta liquidi naturalis miſturâ Muſtum æmulantur; ita Uvæ Corinthiacæ, Paſſæ, Ficus, Pruna, ſicca illa & longâ ſenectute rugoſa, eadem illa referunt in offam redacta fermentationis principia, uno tantùm deſtituta liquido, muſteæ Sapæ exemplo. Hæc itaque aut alieno aut ventris liquata humido, novo recrudeſcunt impetu volatileque fundunt ταρακτικὸν, ſed molle & nisi tenero in corpore jamque ad fluxum prono, purgativum; ut accidenti hoc deberi intelligas. Conſtare hinc poteſt, niſi ego fallor, in tantâ reliquorum principiorum, ſalis, olei, & acidi, impotentiâ, ut vel dulcedo iſta omnium muſtea aut vinoſa arguit aciditas, ſpiritus potiſſimum Volatilis in hoc effectu ſpectandas.

das esse partes, spiritus autem, liquido se suo viscosioribusque principiis putredine quâdam expedientis: neque enim aut potentem ἔκτηξιν viscidique liquationem aut venarum irritamentum, alteram purgationis veræ partem, à lenitivis hisce exspectes. Verùm cum hæc Volatili referta sint, ejusque respectu purgent; alia quoque aliis destinavit usibus natura & in nonnullis acribus alvi posuit præsidium. Piper, Zingiber, Cardamomum, si copiosè ingerantur, obsistentem blennam in fluorem mordaci acrimoniâ reducunt, ferente sic temperamenti proclivitate; sed quia tum quoque hoc ægrè efficiunt, aliis ea partibus artificum armavit industria, misturæque defectum aliorum usque purgantium additamento correxit: sed Diatrion pipereum etiam per se, placentasque suas piperatas, pro lenitivo extollit Erastus. Zingiber laxativum Augustana promittit Pharmacopœa; ut scias elementorum esse misturam quæ vera Purgantia ab hisce discriminet: licet enim & oleosi quid in Pipere sit, est tamen ejus quàm leve momentum; volatilis quidem permultum, sed fluxum & olei salisque exclusum nexibus, at maxima pars piperis acre est. Possem huc acria quæque etiam simplicia referre, sed hæc alii capiti destinanda sunt; ubi & oleosorum aliorumque longo ordine lenitivorum aut per accidens purgantium rationem deducemus. Sufficit ergo ad lenitivi naturam, unius Elementi in misto dominium, sive hoc volatile sit, seu acre, seu denique oleosum: ubique verò secundum quid & massæ sanguineæ εὐεργίαν.

CAP. XX.

A Sudoriferis quoque & Diureticis Purgantia nisi gradu vix differre. Levem præparationem efficere, ut Purgans in Sudoriferum transeat, in Argento & Antimonio ostenditur. Cremor Tartari purgans; sed mistum: Spiritus Tartari sudorificus, at simplex. Etiam à dosis variatione evenire, ut aliquid sit Diureticum, Aristoteles in Scammonio probat. Purgantium repetitur forma & ad particularia extenditur.

A Vomitoriis non tantùm & Lenitivis levi differunt modalique circumstantiâ justa Purgantia, sed & à Sudoriferis Diureticisque: neque enim toto genere differre possibile est, quæ idem habent objectum, omnes sine discrimine humores, eosdem ferè motus terminos, commune centrum Cor carceresque Venarum extrema. Nam, qui in sudoribus humor ad habitus superficiem cutaneasque glandulas propellitur; in urinis ad Renalia cribra tubulatasque papillas; in purgatione autem ad Pancreatis, Hepatis, totiusque intestini glandulosos recessus exponitur: ille, inquam, humor ab uno passim Corde impulsus per communia arteriarum oscula in suas evomitur cavitates. Sed neque ex ipsorum naturâ aut correctioni modo aliud quam graduale quiddam cognosc potest. Lunæ Crystallos purgativas se artifici sudorificas effecisse Nobilissimus Boyleus testatur Quercetanus acerrimum Euphorbium acido i sudorificum cogit, recipitque in pilulas a

pestem

peſtem. Antimonium ſemel iterumque cum Nitri Cryſtallis reverberatum fit purgans; at ſi tertium reverberetur, id eſt, ſalis metallici rigiditas ulterius detorqueatur ſuppreſſo volatili, ob ligatam arctius cum acido miſturam, fermentare ſanguinem nequit; ſed leviore duntaxat motu inſurgens ſerum tantùm fluidius, καὶ ὅσα ἐπιπολῆς ἐστὶν, ut Ariſtoteles loquitur, in corporis oras propellit: ſed continuatâ detonatione, quicquid à tertiâ reſtabat efficaciæ, penitus deſtruitur, inque inutile vertitur purgans, nihil ultra Chemici cadaveris potens. Ut propterea ſub eodem genere collocanda eſſe & Purgantia & Sudorifera credam, quòd uno eodemque oppoſito, acido, omnium perinde vis elevetur: idem enim acidum, ut è Vomitorio Purgans confecit, è Purgante rurſum Sudoriferum Diureticumque, & tandem inſenſibile Alterans concinnat; cumque acidi ejuſdem non niſi una ſit forma, una acuminum facies, certè, niſi in oppoſitam ſibi formam contrariamque aciem, & niſi per unum ſimplicemque modum, non aget. Quare Vomitoria à Purgantibus, utraque rurſum à Sudoriferis ſecundum magis & minus differre exiſtimo, ſingulorum naturam definiente τῷ modali, non formâ aut differentiâ ſpecificâ. At quemadmodum purgantium formale ſine illa principiorum miſturâ conſiſtere nequit, ita contrà ſudorifica in uno ſæpe ſimplicique volatili formam reperire certum eſt. Muſtum, miſcellanea ſapa, ſed fluido copioſo diviſa, alvum ducere poteſt; ſed Vini ſpiritus ſimplex ſapæ Elementum ſuperficialem modo ſuccum propellit, ſimplex ſerum. Tartarus etiam, licet ſapæ pars ſit, eadem tamen con-

tinet & tot numero principia quot ipſa ſapa; purgat itaque, ſed propter acris defectum, mitiùs. Huic Tartaro ſi ſpiritum demas Volatilem, merum habes & præ aliis potens Sudorificum. Ut, quòd Volatile ſapæ aut aliis principiis incluſum ſanguinem fermentatione turbat, idem ſe ſolo leviore tantùm motu mobilius ſerum per omnes æqualiter poros expurget. Imo quòd in Vomitoriis ſupra notavimus, in Sudorificis quoque uſu venit, ea Purgantibus miſta pro humorum naturâ in purgantia abire, modò purgantium impetum in ſe convertere inque ſudoriferum temperare: quemadmodum famoſus ille Cornachini pulvis, ex Antimonio Diaphoretico Scammonioque & fortè Tartaro compoſitus, infinitis probat experimentis. Quòd autem de diaphoreticis dico, de ipſis quoque diureticis dici poteſt; nam & in urinas abeunt purgantia, quodque ab alvo exſpectabatur, in veſicam protinus incumbit. Nimirum quando ſanguinis temperamentum potentius eſt, quàm ut fermentationem admittat, levi & ſuperficiali inducto motu, fluidius modò ſerum in Renum præcipitant receptacula, quodque pluribus circulationibus ab alvo non poterant, uno alteroque circuitu in veſicam rejiciunt. Hinc, qui ad Purgantis hauſtum maturè & multum mejunt, purgationes aut nullas habebunt aut certè leviores, utcunque vehemens medicamen fuerit. In Lenitivis autem hoc eò ſæpius obſervatur, quò minus in fermentando mutandâque craſi habent efficaciæ Familiare eſt oleum Amygdalinum ad Renes tranſmitti, imprimis ſi jure vitulino adjuvetur; cæterum, ut eſt frigidum & per ſe, ventriculum molliter excutit aut alvum dúcit.

Rha-

Rhabarbarum ipſum ad Renes quandoque tranſit intactâ alvo. Caſſia etiam urinam pellit relicto ventre. Aſarum certè modò vomitum, nunc alvum ciet, ſed ad urinas quoque cum ſucceſſu convertitur, fruſtra purgationes morante Medico. Nunc doſis quoque mutatio efficere poteſt in vehementioribus, ut ferente huc ſanguinis temperamento, urinas cieant frequentes. Hoc in Scammonio Ariſtoteles advertit, qui verè Problemate 44. ἡ δὲ, inquit, σκαμμωνία πολλὴ μὲν οὖσα, εἰς τοῦτο κρατεῖται ὥστε διαχυθῆναι; διαχυθεῖσα δὲ γίνεται φάρμακον; ὀλίγη δ' οὖσα, μετὰ τοῦ ποτοῦ ἀναπίνεται εἰς πόρους, καὶ ταχὺ, πρὶν ταράξαι, καταφέρεται εἰς τὴν κύστιν, καὶ ἐκεῖ τῇ αὐτῆς δυνάμει ἀπάγει τὰ περιττώματα καὶ τὰ συντήγματα, ὅσα ἐπιπολῆς ἐστίν. Nam cum minore momento datur, fluidi potulenti motibus parere, inque Renes abripi neceſſe eſt, majore ferè doſi vincente hunc impetum. Sed hic, quòd dudum excipiendum fuit, moneri audio, invitâ ſcilicet Naturâ eadem me principia, eoſdemque terminos omnibus ſine diſcrimine regnis accommodaſſe, quaſi non alia Herbas alia Metalla decerent principia. At ſi te hæc faſcinant artis vocabula, ſubjice, quæſo, alia, metalliſque, ſi credis, propria. Cum autem non in tria tantùm, ſed vel in ſex aut ſummùm octo Elementa rerum Naturam diviſerint Chemicorum ſcholæ, cur non Metalla quoque in eadem vertimus elementa, ſiquidem non alio fato reguntur, quàm cœleſtia, non alio quàm vegetabilia, jactante quoque Hermete; *Aſtra ſurſum, deorſum, &c.* Aut, ſi diverſa Principia agnoſcat hoc regnum, prodeat alia natura, prodeant ſanè nova Elementa, dabimuſque ex ſuis hoc principiis explicatum. Nunc verò cum

alia non ſint, nihil prohibet per data id principia explicare, per Salem perque Volatile & Oleoſum, activa certè omnia; & licet ad unguem ſingulorum neque qualitas nec doſis probari queant, probari tamen omnium ad compoſiti naturam neceſſitas poteſt: Volatile & Oleoſum ſuum ad purgationem conferre, Salem verò etiam pluſculum, ſed principiorum illam miſturam omnia, conſtare poteſt, Spiritu enim, quem intra Vegetabilium ſapam Metallorumque ſulfur Natura coegit, ſe diſſipante, Oleoſo ſpiritus conatum ſuſtinente, maſſam contrâ perrumpente Salis acumine, communi omnium niſu fermentationis motus inducitur; ad quem deinde motum diſſolutæ ſanguinis partes ſe præcipitant & à ſuis ſingulæ viſceribus hauriuntur; ſecretas iterum reddente alvo. Sed reſtat, ut univerſalem hanc Theſim particularibus adſtringamus, oſtendamuſque non in ſingulo tantùm regno, ſed & ſingulo regni hoſpite, tot imprimis taliaque coire principia, qualia ad conficiendum Purgationis negotium neceſſaria eſſe ὡς ἐν τύπῳ deduximus. Luſtrabimus autem omnes omnium præparationes, quò melius in compoſitionis arcana admittamur: Et ne in ordine diſputemus, â Vegetabili Regno incipiemus & Cholagogorum primò dicemus cauſam, agmen ducente famoſo & à Chemicis Magiſtriſque exercitato, non ſine injuria, Scammonio.

Cap. XXI.

Medicamentorum deducitur ratio, quodque antè in genere in Purgantibus demonſtratum eſt, nunc in ſpecie & ſingulis illorum oſtenditur. Cholagoga prodeunt, & in his Scammonium, Rhabarbarum, Aloe. Phlegmagoga, Euphorbium, Elaterium, Turbith, Agaricus. Hydragoga, Mechoacanna, Gummi Indicum. Melanagoga, Elleborus, Senna. Præparationes examinantur.

Scammonium.

PRæcipuum hoc in tantâ ſupellectile Cholagogum ſtolidâ hactenus timiditate accuſatur, ſiquidem purum eſt, adulterari enim Cataputiæ ſucco tam diſpar ſæpe ſuadet ſucceſſus. Acrimoniam infeſtam à Tithymalo mutuari ſcripſit Dioſcorides, naturâ aliàs mite & temperatum. Quicquid ſit, minorem juſto doſim fallaciæ metus conſtituit, cum & neſcientes Medici in Electuario de ſucco Roſarum ad grana propinent viginti quinque, monente Hofmanno de Medicam. Officin. Incomitatum ire non ſolet, quia ventriculo putant inteſtiniſque nocere; ſed non tam, credo, ad ipſius Scammonii, quàm ſocii Tithymali fraudem expugnandam tot tantiſque quæſtionibus fuit opus: Diagrydium itaque introduxerunt, demitigatam Scammonii ſobolem: ſed parum devoti Pharmacopœi vel crudum ſubjiciunt, petenteſque diagrydium chartulas cum Scammonio dimittunt, non infelici contumaciâ. Interim pro

Diagrydio rectius δακρύδιον dici ex Tralliano constat, qui meminit καθαίροντος ἐκ δακρυδίου: videturque τὸ *dia* seplasiariorum irrepsisse negligentiâ, cum tot inde Compositiones & Electuaria ἐπίνθετον τοῦ διὰ accepissent. Ista autem Sammonii præparatio à Galeno repetitur, fitque cum malo Cydonio & Pastâ farinaceâ; dubium tamen, an Pastam accipi velit, an Scammonium. Sed hic disputantem, si placet, adi Septalium in Animadversionibus. At metuendum est, ne æquè vana sit hæc in pastâ decoctio, atque illa carnis Viperinæ apud Venetos, ut vocant, impastatio: scilicet semianimum saleque volatili defunctum in clibano corpus in farinam cogunt, quodque illi pro Diagrydio, hi pro Trochiscis venditant viperinis. Verùm ego sic virus non tantùm tolli, sed quandoque etiam virtutem existimem; nam dum calore acidus Cydonii vapor exhalanti simul sali illiditur, figit necessariò volatilem partem, vimque ipsam cum fixatione imminuit. Altera est præparatio cum sulfure vulgari, Medicis Chemicis laudata: evaporanti enim Sulfuris acido Scammonium admovent, quod tantum illius temperat, quantum fumo suo attingit; hoc tam perditè Germani atque impastatum suum amant Itali. Quòd si longius justo exponitur Scammonium, omnes ferè vires ponit, fixato sale volatili. Castrationem vocabat Helmontius, & meritò multat nasutulos. Nunc & tertia accessit præparatio à corruptoribus Chemistis: minutim concisum Scammonium Vitrioli sive phlegmate seu spiritu irrorant, pistilloque agitant sæpius, hoc verò est, omnium pace liceat dixisse, officiosissimè enervant. Enim vero nullo hic tormento est

opus,

opus, in ſolam ferè aquam ad piſtilli motum lacteum cremorem refundit, uſu tutum guſtuque non inſuavem; hanc præparationem Zuingerus Brendeliuſque laudant, laudavitque nuper in ſuâ Praxi Sylvius.

Rhabarbarum.

Vix aliâ qualitate magis cognitum eſt quàm acri & adſtringente ſapore, id quod ne ſuo quidem Rhapontico Galenus negat, ut meritò dubites, annon idem illud ſit noſtrorum Rhabarbarum; cum & Centaurium majus ejus ὑποβολιμαῖον noſtro etiam Rheo perquam ſit affine, & Galenus ipſe ἀερώδους τινὸς οὐσίας μετέχειν λεπτομεροῦς ſuum Rha manifeſtè ſcribat, quâ vel maximè officinarum gaudet Rhabarbarum. Centaurium verò non ſuffeciſſent Græcorum Rhapontico officinæ, niſi volatilis & purgativæ partis conſtitiſſet ratio; aperire enim alvum Centaurium Braſſavolus ſuo experimento ſcripſit. Si verò iſtud Rhapontici Volatile ἀερῶδες purgandi caruit facultate, ex ingenio loci provenire potuit, ſalem negantis aut ſatis acrem aut ſatis compoſitum. Arabes purgantis Rhei geminam faciunt ſubſtantiam, terream unam, adſtringentem; igneam alteram, & quam Interpres Meſuæ ſuperficiariam vocat, cerâ itaque Volatilis fugam impediunt; ſed adſtringere non antè videtur Rheum, quàm igneus ille vigor deferbuit terræque relinquitur dominium: hoc deprehenſum eſt Sophiſtarum fraude, nam ut quinque dies maceratum Rheum in Trochiſcos formaverant, Regum delicias, reliquam à diſſolutione fæcem Croco reformatam, in Orbem dimittebant, fallacem & infidam Rhei

ſubſtan-

ſubſtantiam. Volatile ſubeſſe purgativum hoc probat, quòd vel liquido calidiore ſubactum, aut igne uſtulatum, aut in quàm minutiſſimo pulvere ſervatum efficaciam omnem Volatilis fugâ amittat. Manducatum ſalivales fontes proritat volatilique acrimoniâ conniventium ductuum clauſtra reſerat, tum etiam ad pituitarias elapſum membranas ſerum frequens evocat. Argumentum quoque eſt Volatilis ſubito egredientis, quòd ſtatim, ut aſſumptum eſt, vomitum minetur; hac ergo de causâ vaporantis faſtidium olei aromatici guttulâ compeſcimus. Ad Urinarias etiam vias ſe demittit, Nephriticis ideo deſtinatum purgans. Aceto aut Vitrioli phlegmate perfuſum effervescit, ut ſalem ſubeſſe intelligas; ſed hoc ſimul æſtu vim omnem deperdit, ut parcere potuerit Citri acido Quercetanus, in correctiones, quàm decet, propenſior. In oleum Amygdalinum inque aquam colorem ſuum tranſmittit, ut vel hinc pateat, quòd ſingulis ferè menſtruis partem ſui debet, variis conſtare miſcellaneiſque Elementis.

A l o e.

Reſina eſt oleoſam partem palam oſtentans, huic tamen ſalis quoque ſpicula involvi aquæ demonſtrat maceratio, manifeſta enim ſe guſtui objicit acrimonia. Sed, quòd in Paracelſi illâ miſturâ, Elixir Proprietatis ſcenico dictâ vocabulo, ne acidum quidem effœminare eum ſalem poſſit, à tenacis Reſinæ pendet involucro; dum enim Oleoſi partes conſtringit, eo ipſo ſalis quoque acumina oleoſi tricis arctiùs impedit, & ab effervescentiæ furore vindicat. Salis tamen aliquid

in

in menſtruum tranſire hinc concludas, quòd ſine ſale per acidum diffundi oleum nequeat, quòdque ſpiritus acidus jam longè ſit, & quaſi à levi efferveſcentiâ, temperatior. Volatilem ſalem ingens fœtor cum Tartari oleo putreſcentis ſignificat; eſtque propter illius fugam multò impotentior, quàm ſi cum acido committatur. Aquæ autem ſolutionem per ſalem non refugit, diciturque Lota; à Roſarum aquâ, Roſata; à Caballis Caballina, Mulionibus relinquenda Hofmanni monito, eſt enim impurior: ſed optimam ἡπατίζουσαν Græci, noſtri Hepaticam nominant; à Zocotrâ inſulâ, Zocotrinam; ſic enim ſcribendum, non Succotrina, quod inſignem illum Virum Leonardum Fuchſium in errorem impulerat. Verùm de unâ Aloe mirum eſt, quòd in durâ melancholicorum alvo, minore in doſi plus adferat commodi quàm maximâ, & quòd ſpem fruſtrante vehementiſſimo purgante ſolâ ſæpe temperie aperiat felicius; at, ſi frequenti manducatione cum Naturâ conſueſcit, ventrem non amplius movet, ſed, quòd Hofmannus notat, Tabem perſæpe adfert.

Euphorbium.

Rarum & infrequens hoc tempore medicamentum, adeo urit ſiccatque; Arabes addunt, exulcerare partes internas, ni demulceatur: atqui ſalis hoc manifeſtum eſt ſignum. Oleum ajunt deſtillatione evocari acerrimum, reliquiis penitus enervatis. Jam ni volatile eſſet acerrimumque hoc ſal, quid tam ſollicitos eſſe in ſucci collectione rizotomos juſſit, ut è longinquo

quo prætentis haſtæ cuſpidibus arborem vulnerarent, & ad ſiccatas demum glebas, mordaci conſtricto ſale, accederent. Sed collectum jam ſuccum ad Medicinæ uſum olei lævore deliniunt; certum enim eſt olei hamoſitate, ſi mechanicè loqui licet, ſalis illaqueari ſpicula; ideoque Amygdalinum hic commendant, Sapam etiam auſteris expreſſam medicamentis, quòd ſtringente partium coalitu ſalem coercere videatur. Alkanzi Arabs, quò tyrannidem non effugeret Euphorbium, tam malè tractavit, ut, quod credo, nihil relinqueretur purgantis; ille & oleo imbutum & ſucco Citri acido immerſum, paſtà tandem involutum furno exponit, magnâ ad correctionem compendiariâ. Vides, utique, quòd majus ad purgantis debellandam acrimoniam remedium non ſit quàm acidum, notus ſalium hoſtis. Sed me hercle, immenſum ab hoc temperamento differt Diogenes ille, qui, ut demitigaret Euphorbium, ſalem Ammoniacum adjiciebat & Piper, mera caloris incentiva. Manardus feliciter ſolo Tragacantho corrigebat ad Luem veneream: nunc quaſi κάθαρμα uſu prohibetur medico, ipſeque Quercetanus, acerrimus purgantium Cenſor, in ſuâ Pharmacopœâ Dogmaticâ quaſi pœnitentiâ ductus, rejecto, quem olim adhibuerat, Vini ſpiritu, acidos Limonum Cydoniorumque ſuccos commendare cœpit, & ipſum Vitrioli ſpiritum; ſed medicamenti impotentiam agnoſcens poſt ipſe, in Sudoriferorum ordinem tranſcripſit, miroque elogio in pilulas ad Peſtem recepit. Neque eſt, quòd imbecillitatem Phlegmatis Vitriolati metuens, ad Spiritum provocet acerrimum; cum non retuſam modò vehementiam

fuiſſe

fuiſſe ſed etiam enervatam credam. Novi hominem de plebe, qui Euphorbii ſcrupulum unum cum melle format ad viſcerum obſtructiones & Quartanas, ſucceſſu ipſo celebris.

ELATERIUM.

Succus hic eſt Cucumeris ſylveſtris apud Dioſcoridem; ſed apud Hippocratem latiùs extenditur, monente utroque Hippocratis interprete, Galeno & Erotiano, quorum fidem Cornarius ſequutus malè vertit τὸ ἐλατήριον variis in locis *Medicamentum deorſum purgans*. Utque convincam ab ipſo eſſe peccatum, ubi quinto Epidemiῶn Hippocrates de Oneſidemi Lariſſæi Servâ. Ταύτῃ ἐδόθη ἀσθενεούσῃ ἐλατήριον ἀσθενὲς, καὶ ἤμεσε τ' ἀπ' αὐτοῦ πολὺ καὶ κάτω ὑπῆλθε πλέον. Ibi Cornarius. *Huic debili*, vertit, *datum eſt pharmacum deorſum purgans in potu, & vomuit ab ipſo multum & infra amplius ſubiit.* At quomodo ab ipſo τῷ Elaterio vomere potuit, ſi tantùm fuit deorſum purgans, ne efferveſcentium humorum vi id accidiſſe dicas: ut de Elleboro albo intelligam ſenſus ipſe & multa alia loca perſuadent; adjectivè ſæpe, φάρμακον ἐλατήριον, alibi ῥίζαν ἐλατήριον, pro Elleboro albo uſurpare familiare eſt Hippocrati, & vel maximè eodem libro Tm. XVI. εἶτα, inquit, δοκέων ἀνωδέεσθαι, ἔπιεν ἀσθενὲς, ῥίζαν ἐλατήριον. ubi non tantùm Veratrum ſed & album vertere interpres debuerat: neque impedit ad utramque alvum evacuandam commendatum à Dioſcoride Elaterium fuiſſe, ſive Cucumeris ſylveſtris ſuccum. Huic verò Elaterio acerrimum ſubeſſe Salem majore etiam fide quàm de Euphorbio prædicant Rhizotomi, licet eorum hyperbolas ſpeſque

ſpeſque avaras notet Theophraſtus, libri noni capite nono. Sanè in Succi collectione quàm longè abeſſe ſatius eſt, experiuntur enim, neſcio quid acuminis, quo in momento vultus in puſtulas ventoſoſque tumores attollitur, ipſæque contrectantium manus, craſſiſſimi aliàs ſenſus, dolentiſſimis excruciantur maculis, ut recenti & modò nato Succo Volatile quid & Acre exhalare probabile ſit: cujus deinde in ſapam coacti minor eſt impetus; humiditas autem, quæ manantem undique ſuccum comitatur, tabe quadam particulas acres volatileſque diſſolvit, quâ deinde aut concreſcente aut evaporatâ, volatile iſthoc, ceu in ſapâ, ſupprimitur longùmque durat; auctor enim eſt Theophraſtus, per ducentos annos incorruptum manſiſſe Elaterium; cui idem accedere puto quod Muſto in Sapam, aut ut Plinius loquitur, vinis in ſpeciem redactis mellis aſperi, vigorem tot per annos conſervantibus. Quòd ſi novo liquore concretum Elaterii ſuccum denuo ſolvas, tabeſcent principia, & ſi ſalem addas Tartari, poſt putredinem erumpent, caſsâ & invalidâ ferè relictâ Sapâ, ſaltem longè infra Elaterii vehementiam purgante. Ut audiendus non ſit Philoſophus, qui ſucci durabilitatem ab humore repetebat, quaſi ad luminum exſtinctionem nihil vel olei cruditas aut denſatum ætate gluten conferret. Sed cum tanta ſit hodie medicamentorum varietas, exulat ſæviſſimus ille humorum vindex, neque niſi in ſemotiſſimis quibuſdam Italiæ locis à ruſticanâ etiamnum plebe uſurpatur. Dubitari tamen non poteſt, quin iſta Elaterii vis ad hodiernos quoque uſus, vel Sale lixivo, domari poſſit: At ſi nulla ejuſmodi ſubeſt acrimonia

cu-

cur mucilaginoſa, ut Pſyllii ſemen & Tragacanthinum gummi, in correctionem adduntur, aut illa cum Aceto excoctio; ſeu, quod moroſiorem in præparationibus Chemiſtam commonefacere video, diſſolutio in phlegmate Vitrioli. De Sale autem ejus volatili copioſo & oleo Regium audio Chemicum Le Febure, qui in ſuo de Chemiâ tractatu ſic loquitur. *Cet Extrait de l'Elaterium a en ſoy un Sel volatil tres abondant & un Soufre qui le conſervent ſans aucune corruption, & qui luy communique la vertu colliquative & purgative.* Scilicet omnium, Acris, Volatilis, Oleoſi juſta inter ſe miſtura, naturalis bilis inſtar.

Colocynthis.

Sed Eſulam, Thapſiam, notiſſimos acrimoniâ ignes cum Elaterio dimittimus, & ad fructum ſine exemplo amarum, terræ fel & plantarum peſtem, ut ajunt, Colocynthidem properamus: uſitatiſſimum eſt & unicum pituitæ viſcidæ purgans. Equidem, ſi aliud medicamentum fortuna oſtenderet delicatius, mortem non biberent volentes ægri. Abſque hoc ne decocta quidem conſtarent, pilulæ forent inertes, Catholica laborarent, & Magiſtrales, quas vulgò vocant, receptulæ nihil eſſent, niſi Trochiſcorum Alhandal aliquot granis perfunderentur. Trochiſci autem alhandal ſunt gummoſo involucro delinita Colocynthis, eſtque proletaria correctionis ſpecies; attamen & ipſi non ſunt ſine injuriâ, cum torminum auctores ſint maximi, feréque in laborioſâ purgatione Colocynthidem eſſe in culpâ non temerè conjectemus. Sed amaritudinem

argumentum esse Salis acris non opus est hic repetere; illud saltem ad salis subtilitatem addendum est, in nullo corpore tam volatilem esse hanc amaritudinem quàm in hoc. Solo Pomi illitu & contactu mensarum inficiuntur apparatus & orbes & patinæ, refunduntque in fercula odiosam qualitatem, ut dubitent de fide Hospites, speciemque ἀσώματον, ut sic loquar, & sine substantiâ admirentur. Sed ventri quoque illita Colocynthis, & sive in Arthanitæ unguento seu in oleo frixa alvum non impotenter detrahit, ut volatilem esse desultoriamque virtutem intelligas; sublatâ autem amaritudine vel diminutâ, neque enim edomari in totum potest, ipsa quoque purgandi virtus evanescit; quare miserè decepti sunt, qui ut ægrotorum palatis velificarentur, amaritudinem urinæ nidore conati sunt eluere. In sero lactis mitescere verum est, sed hoc omnis est aciditatis beneficium; cum Aceto verò etiam magis enervatur; sed ipsum acetum sic delibutum dentium alvearia firmat gingivasque densat; in oleo ad aurium surditates commendatur experimento Mesuæ. Frustra igitur est, quòd se in expugnandâ hac acrimoniâ nonnulli occupent Chemici, Lævinusque Lemnius plus quàm propheticâ superstitione farinis exuere amaritudinem quærat; sanctius quid censet Valesius in suâ sacrâ Philosophia Verùm quæ huic amaritudini conjungitur acrimonia, eam quodammodo temperare præparationes videntur. Præparatio autem ex Arabum dictatis observanda est, & tundendam esse tenuiter subtilique cribrandam incerniculo, ne frustillatim hæreat rugisque impacta Ventriculi ténera vexet venarum oscula, unde in Extracto tutiùs Resinâque propinatur.

TURBITH.

Acrius & hoc guſtui eſt, ſed quod hoc titulo in pyxides ſeplaſiariorum migravit, non Arabum videtur *Torbedon*, ſed ἀντιϐαλλόμενον τιθυμάλου εἶδος, ſive Eſulæ, ſeu Pithyuſæ ſeu Thapſiæ radix. Certè Veneti in Lacunarum orâ creſcentem Eſulam pro Turbith ſalutant; Fallopius autem putavit, quod in Italiâ paſſim proſtat Turbith, Thapſiæ eſſe radicem, quam & in Hiſpaniâ frequentem & ubique natam in officinis pro Turbith ſubjici Carolus Cluſius obſervavit: nec ambigò quin illa hæſitatio permutandi licentiam fecerit majorem. At Salem huic imaginario Turbith ſubeſſe guſtus & alia demonſtrant; Reſinatum lentorem vini ſpiritus extrahit, & ad bonitatem ſatis eſt gummoſi Epitheto circumferri. Judæus quidam Cydoniorum ſucco temperabat; at Johannitius Dactylorum aceto, omne hoc ad Salis acrimoniam retundendam.

AGARICUS.

Levitate ſuâ ingenium probat hic fungus, putreſcentis ligni abſceſſus videtur deſerente cariem Volatili Sale, ſed terræ particulis impedito. Utque Volatilis appareat efficacia, ſolâ uſtulatione in terram vertitur inertem, facultate purgandi orbatam. Salis argumentum eſt, quòd ab acidi efferveſcentiâ cretæ inſtar adſtringat. Geminam huic ſubſtantiam largitur Regius juvenis, igneam unam aëreamque, terream alteram fixamque, non inſulsâ ratione; ſed quòd marem alium ſalutent, alium fœminam,

ab externâ repetunt qualitate; nam nigro tenacique villo fibrosus Mas est, levis alter & albus, molli titulo, Fœmina. Experimentum Judæ est Agarici efficaciam Oxymeli excitari, cujus jam ratio deducta est.

BRYONIA.

Hujus radix præparatur, estque in magno apud Quercetanum pretio. Edocuit is modum conficiendi fæculam; scilicet, è radice succum exprimit & hærentem fundo sapam Fæculam appellat. Salem testatur acrimonia, in baccis etiam tanta, ut ψίλωθρον audiat & ad corii confecturam commendetur. Sed de Jalappæ radice, quam Hispanienses nonnulli peregrinam esse Bryoniam contendunt, alia res est & cognitissima; ejus tincturam spiritu vini felicissimè evocant, sed purissimo; nam propter densam pinguedinem aquosi spiritus fugit contubernium. In aquâ autem nonnihil ejus, quod salinum est, dissolvitur, plurimum tamen præcipitat: à tincturæ evaporatione aut præcipitatione residuam partem Resinam salutant, sale utique & oleo refertissimam. Hæc Bolis immergitur aut Pilulis intra scrupuli dimidium, estque felix justæ purgationis compendium. Radicem in minuto polline servari vetant Magistri; sic enim purgativa vis cum sale volatili subducitur.

GUMMI INDICUM.

Vel Gutta Gamba, barbari succi barbarum nomen; cujus licet acrimonia primâ fronte non cognoscatur, subesse tamen suoque se tempore exserere suprà à nobis demonstratum est. Effectum habet violentum, sed eò est tolerabilius

quòd

quòd utramque alvum ducat. Ambigua ejus natura dosin & præparationis modum apud Medicos variavit. Pulveri, ut tunditur, si diutius inhæreas, vomitum ciet. Subtilitatem satis arguit vis Emetica, quam modicâ fixatione coercere facilè possumus. Conservâ obrutum Rosarum Cinamomi Syrupo diluunt, spiritusque Vitrioli aliquot guttis conspergunt. Color autem subaureus ab acidi misturâ in herbosam viriditatem transit. Oleosum esse evidenter demonstrat, quòd & ad Lucernam accendatur Pictorumque misceatur oleis. Sed & salivalio humore excipere feriantes pueri solent; at Chemici cum Vini spiritu magisterium conficiunt, cum aquâ Rosarum præcipitandum. Hoc modestè alvum ciet inferiorem.

Elleborus.

Medicamentum, si quid aliud, infamatissimum, sed albi etiam mala culpa nigrum involvit eodemque titulo proscripsit. Verùm magna est inter utrumque differentia. Album vehementissimum est & mordax, imo quod in Hispaniâ facili apparatu in præsentaneum transit venenum; de quo postea disseremus. Nos autem nigro addictiores album istum Pharmacis & Circulatoribus relinquimus; sed hujus quoque acrimonia acidis vexari cœpit. Cydoniorum enim hic laudatur succus vinumque Cydoniatum; alii studiosiores, etiam Vitrioli phlegmate radiculas spargunt, unoque obtutu vim omnem deperdunt. Cum Sale Tartari, quod in eo est subtilius, tabescit vehementiaque temperatur. Satius est cum Aceto Scyllino extrahere Tinctu-

ram, menſtruoque per Alembicum revocato Extractum ad pilulas ſervare.

SENNA.

Ægyptiæ plantæ ſunt folia, acrimoniâ volatili prædita; nam & facilè evaporat atque teredine aut naturali tabe conſumitur. Inveterata amiſſo vinculo in pulverem concidunt, id quod Salis Volatilis inteſtinâque partium putredine obſervavimus. Tutum eſt medicamen recens, ſed obſoletum tormina ciet, movet nihilque promovet; quare domeſticâ uti Sennâ Fallopius maluit, quàm Alexandrinâ illâ per tot tracta maria nauteamque olente. Acido hanc quoque Sennam enervari experimento didici; ſed & guſtus acrimoniam indicat. In ſolutionem ſi Tartari Salem addas, melius extrahitur pars reſinata, mitiuſque expurgat.

CAP. XXII.

Metallicorum nunc quoque ſigillatim excutiuntur præparationes & purgativum demonſtratur principium. In Mercurio, & Antimonio, Auro, Argento, Ære, Ferro, & Lapidibus.

NIhil autem impedit, quò minùs etiam in Metallicis ejuſmodi ſit Elementorum miſtura, quandoquidem ex eâdem hyle conflata ſunt omnia, eodem omnium motore, Deo. Quod cum obiter alibi probatum ſit, ſummatim hoc quoque addendum judicavimus, in Metallicis æquè eſſe præparationem atque in Vegetabilibus, quæ nos iſtiuſmodi miſturæ aut principii purgativi

purgativi certiores faciat, neque refert an in Sulfure lateat personatum an in sensibili spiritu. Nam cum volatile naturâ non sit, necesse est aliquid conjungi, quod subtilitate suâ ignavos sulfuris contextus in sublime tollat: Hoc ipsum, præcipuam purgationis partem, armatum spiculis adeoque salinum in sulfure delitescere, ceu in oleo vegetabilium existimamus. Incipiamus autem à clarissimo Chemicorum Proteo, Argento vivo, quod ut versatile agnoscas, satis est Mercurium appellasse. Prodeat ergo.

Mercurius.

Hunc postquam aliqui in supremo frigoris temperamento collocassent, adeoque nec Salis ullius aut Sulfuris participem, multò minùs ego Aquæ dixerim, decidisse causâ Chemicos putabant. Sed sciant illi, qui ad tactum & in illâ globulorum mobilitate frigidus est Mercurius, potentiâ & interiore in formâ calidissimum esse posse. Viperam certè, ut ut frigidam tactu, τὸ πυρωδέστατον τῶν ζώων nominare etiam Hermes ausus est, secretiore ejus formâ, oleoso sale, persuasus. Jam verò illorum quoque sunt placita λεπτομερῆ quæque esse calidissima; nullum itaque Mercurio calidius, cum & in tenuissimas diffletur minutias & quàm longissimè abeat. Kircherus autem multò in hoc examine serverior, ad Mercurii vivi naturam salia advocat externa, Nitrum & Vitriolum. Bonum itaque factum, ne sublimationem cum salibus repetant Artifices, sublimato jam & in Terræ sinu concepto Arsenico: sed quis in tali ratione crudum sustineat & vivum propinare? Hildanus tamen sic na-

tum & volubilem ad drachmam unam & dimidiam propinavit, & plurimi hodie in Italiâ Medici vivum illum bolo mellito aut ſaccharo ſubactum ad puerorum vermes uſurpant. A Johanne Zappatâ in ſecretis mirabilibus hic præſcribitur modus. Argenti vivi drachmæ dimidium, Benzoini ſcrupuli ſemiſſem cum guttis aliquot aquæ vitæ permiſcet, & piſtillo Roſarum Conſervâ excipit. Sed à Baricello infuſum laudatur Hydrargyri. In aquæ communis aut ſtillaticiæ latice & tunditur & maceratur, donec expreſſæ partes lympham infecerint: hoc quoque laudat Helmontius. Sed videamus, quomodo mercurius vermes necet & purget. Equidem mercurii auram adeo eſſe animalibus infeſtam experimur, ut ad odorem ejus illico effocentur. Pediculos certè vel in Zonam receptus fugat aut igne vaporatus; ſic enim Sagis militaribus induſiiſque in caſtris excutitur. In Zona lumbis circumtenſa calore naturali efferuntur atomi mercuriales inſectorumque teneras animas colliquant. Quod putem manifeſtum eſſe in illis canibus, quos prope Puteolos mercuriali terræ aurâ ſuffocatos, mox aquæ frigore revocatos vidimus. Scilicet aqua diſſolutum interludentibus mercurii particulis ſanguinem momento conſtringit, poriſque inerrantes atomos elicit, ut ad naturalem adeo temperiem ſanguis redeat. Imo adeo inſectorum eſſe hoſtem conſtat mercurium, ut Scorpiones aurâ ſuâ fuget Phalangiique infeſta genera. Araneam vaporanti inhiantem mercurio exſtingui vidimus, ut credam & ipſo & oleo nihil eſſe inſectis infeſtius lumbriciſque, animatis pituitæ partibus. Hi autem lumbrici Mercurio ſæpe educuntur, ſæpius ſolâ

morte

morte pœnas luunt; educuntur, quando impotentem Mercurii auram fugientes, concedente hoc viarum aditu, ore aut alvo ſe excludunt vivi, occiduntur duntaxat, quando pituitæ inteſtinalis tenax gluten fugientes retinet, quos deinde præparata reddit alvus. Sed Chemicorum in Mercurii confectione longè eſt operoſius artificium. Primum, cœperunt aliqui ſolo igne ſervum hunc fugitivum compeſcere. Riverius, Capite de Epilepſia. *Felix*, inquit, *in hoc caſu ſperandus eſt eventus ex Mercurio, vel per ſe vel cum auro calcinato, in furno arenæ longo ignis regimine, probè cavendo, ne qua illius portio cruda adhuc & volatilis maneat, quæ ſummam vehementiam medicamento conciliaret.* Videant autem illi, qui antiquiores medicos à Chemicorum operationibus alieniores fuiſſe exiſtimant, annon & Pauli Æginctæ ea mens fuerit, quando libro ſeptimo capite de Hydrargyro, ita per Interpretem loquitur: *Quidam Hydrargyrum uſtum ac in cinerem redactum aliiſque ſpeciebus permiſtum Colicis & Volvuloſis bibendum dederunt.* Uri certè illo ævo, præterquam ab igne, nihil potuit; ſed nos etiam hodie acidis liquoribus urimus figimuſque volatilia. Verùm objiciat quiſquam, impoſſibile eſſe, ut ignis ipſe mobilis mobiliſſimum omnium corporum figat ſolidetque in pulverem. Ignis ſanè, quà mobilis, hoc non facit, ſed quà ſalinis, acidis, omnis generis terræ particulis comitatus in corpora impingit: ſit quid in igne mobile, tam ſubtile, ut liberè quævis interſtitia penetret, ſunt tamen etiam craſſiores ſolidioreſque particulæ, quàm ut anguſtiſſimos corporum meatus perrumpere queant. Hæc utique craſſiora ra-

menta ſubtili elemento ſubvecta, objecti partibus illiduntur & χέσιν minimorum pro naturâ ſuâ immutant, &, ſi acida ſunt, quidquid eſt in objecto ſalinum volatile, figunt mutuiſque nexibus in ſolidum pulverem adſtringunt. Ego verò huc maximè ignis naturam conferre exiſtimem, eumque, qui ex acido copioſiore conſtat, efficaciſſimum eſſe. Ejuſmodi Sulfuris eſt flamma, ex quâ collectum vaporem denſatumque pro acido oleo circumferunt Chemici. Venetorum equidem Cinnabaris liquati ſulfuris eſt cum Mercurio miſtura, quem cicurare non poſſent ad ignem, niſi acidi beneficio. Nitri quoque flamma eſt acidiſſima, nihil enim eſt aliud, quàm ſpiritus acidi cum ſulfure per elementum aliquod ſubtilius expanſio. In lignis etiam nonnullis aciditatem flamma redolet, ut in Quercino; quos ideo ignes huic maximè operi deſtinarem, niſi alia ſuppeditaret Chemicorum ſchola. Sed hoc Mercurii quoque eſt fatum, quod nonnullorum vegetabilium, acidis exacerbari aut figi: omnia enim exuſta, omnia præcipitata ad purgationes crudo ipſo ſunt vehementiora. Levis eſt & extemporanea præparatio, quàm ad vultus lenocinium uſurpant Italæ mulieres, ſalivâ crudum demergunt macerantque aliquandiu; Mercurius autem, cum acidi nonnihil ſpirituſque ſalini in ſalivâ lateat, ceu ab acido, exſtinguitur hæretque aliàs abiturus. Quòd verò præcipitatus ſublimatuſve crudo ſit pernicioſior, acidi eſt corroſivi morantiſque culpa; nam, cum vivus ille pondere ſuo alvum ſubito perreptet aut in habitum illæſis humoribus exponatur, præparatus contrà moram in corpore trahit acidique beneficio cum humoribus

coaleſcit,

coalescit, quem, proinde fixari furtivisque salium claustris detineri oportuit; detineri, inquam, fascinat enim oculos idem ille Mercurius, & in quamcunque versus faciem artificiosè & sisti vivus & in liquoris æterni vomicam, ut cum Plinio loquar, reduci potest. In Butyri Antimonialis destillatione ab acerrimis illis acidis dimissus redit vivus, quem falsò Antimonio imputari postea ostendam. Sane, splendor ille, qui in Sublimati Crystallis relucet, à globulorum mercurialium refractione dependet, docuitque me Patavii Jacobus Cadenetus, Philosophus & Professor insignis, deprehendi posse microscopio micantia illa vivi Mercurii elementa in Sublimato. Sed hoc quoque ostendit nihil esse interioris naturæ immutatum, quod tot gravium solidorumque salium particulis obrutus nihilominus in sublime volet, subtilitatemque testetur: Præcipitatus autem ideo est fixior, quòd ab acido puriore & liquidiore potentiùs sit divisus, quàm à solidis suoque ambitu distinctis salium ramentis, ut in Sublimato fit; & licet hoc dulcior sit præcipitatus, agit tamen & ipse immitiùs propter acidi acrimoniam, quàm nec millies sive aquis seu Vini spiritu elotus amittet. Omnium verò votis & hoc præcipitato & illo Sublimato præstantior est dulcis dictus Mercurius, ad pituitosas purgationes frequentissimi usus. Hic dulcis conflatur ex Corrosivo illo cum alterâ vivi portione permisto & sublimato. Ita demum ille, qui ob salium acumen effectuumque atrocitatem inter venena numerabatur Mercurius, quàm ocyssimè in se converso novo Mercurio, temperamentum accipit & quasi per effervescentiam domatur. Igitur modestè detineri debuit Mercurius,

curius; cum falium non fit purgare fed Mercurii; nam, quò plus Mercurii falibus accedit, eò fublimatus magis eft purgativus minufque corrofivus, ut & liberè fluctuare inter falium ramenta Mercurius neque nimium opprimi debeat: folus enim nulloque falis acumine armatus aut diffugit, aut in fe convolvitur, cum altiùs detinetur, ut in præcipitato aliifque contingit, acidi dominantis permittitur arbitrio. Sed Sublimatus corrofivus, quoniam acerrimis Vitrioli falifque particulis gravatur, erodet, dulci rurfum ob Mercurii copiam vivi potiffimùm genium fequente, & propter modeftam detentionem purgante. Diaphoreticum autem non ante videre licet, quàm reduci nequeat in totum fixus. At cum præter alvi ductionem etiam hoc habeat familiare Mercurius, ut & per falivales glandulas ferum, idque copiofum in os eructet, ejus nunc quoque caufam defignare neceffe eft. Mercurius ergo naturâ volatilis, acidique complexibus per calorem corporis aut certi liquoris occurfum emancipatus, in venis oberrans, cum pituitofos tum maximè ferofos humores novo fermento fecernit, fecretofque ad fuos quofque fontes naturali ductu dimittit. Cum verò etiam magna humorum pars in buccam redundet, falivæ nomine, hujus quoque fequeftratâ per Mercurium materiâ (five quòd illi humori propter acidum, feu aliud principium jungi malit Mercurius) falivalis exoritur fluor, tam acer fæpe, ut palatum gingivafque erodat. Nec de nihilo eft, in Melancholicis maximè aut Lue infectis venereâ ad falivales potius glandulas converti Mercurium quàm Pancreaticas, cum & illis fponte illa excretio & familiariter eveniat. Ponamus

itaque

itaque, fermentum esse in glandulis, cujus beneficio saliva præparetur; hoc fermentum hisce in morbis immutari probabile est, in acidius viscosiusque; utroque nomine aptum, ut Mercurii sibi particulas associet. Fermenti ergo hujus cum viscosi tum acidi conjugio detentus Mercurius, suppetente continuò seri materiâ, copiosam separat salivam laxatisque ductibus aliam ex aliâ eructat, nec antè desinit, quàm aut cum fermento expellatur aut ad sensum interioris amici, Auri, foras prodeat fucatus: aurum enim adeo hic deperit, ut vel remotum & in ore detentum amplectatur, candoreque argenteo imbuat. Utque credam glandularum fermento hunc Mercurium jungi, funesti illi quandoque successus persuadent; nam cum & hic acidior succus glandularum glomis inhæreat, detinet sese mercurius in acidi amplexibus &, præcipitati instar, vivos depascitur artus, remediorum contemptor omnium, unico excepto Auro; ut ex multis observationibus multiplicique experientiâ constat, adnotante hoc quoque Clarissimo illo Bartholino in Observationum suarum Centuriâ primâ. Quare multo uti mercurio periculosum est, inque ejus usu necessariò & præparationis & corporis affecti habenda est ratio. Propinari solus non debet, sed in Electuario, in Pilulis, iisque citò purgantibus, ut eodem impetu corpore extrudatur: corpus sit neque melancholicum neque pituitâ viscidâ oppletum, sic enim retardatur fugientis lapsus altiusque hæret. Hoc de mercurio monendum fuit, nunc alterum petamus in metallico Regno purgans, Antimonium, maximi, præter mercurium, usus.

ANTIMONIUM.

Στίμμι Græcis, & ne his quidem pro purgante cognitum, mirificè Chemicos exercuit, & mox veneni publice & censurâ Parisiensi damnatum, nobilius resurrexit palámque revocatum est in usum. In hoc tamen Antimonio adeo dissident Artifices, utrum sulfuri purgandi debeat facultatem an mercurio, ut post Libavium etiam hodie nihil tritius sit in Chemicorum scholis. Qui Sulfur statuunt, manifestè experientiam habent testem multamque Artificum turbam, sed qui Mercurium, pauci sunt, illique inter se etiam opere disjuncti; nam cum hic talem, alius alium præparandi modum promittat, suspicio est apud Magnos Viros, annon oculorum is ludus sit. Rolfincium equidem hæc res permovit, ut mercurium negaret metallorum, interque non Entia proscriberet peculiari libello: sed remordent hic Chemici, unusque Becherus & se & experientiam suam Rolfincio aliisque opposuit. Quidquid sit, sulfur omnes & inflammabile in Antimonio agnoscunt, sed mercurium credam à fallaci proficisci artificis manu; est enim fucus & sulfuris larva, cum certa tantùm dispositio texturæque immutatio, fortè longarum exporrectarumque particularum rotatio, mercurium simulare queat. Mutationem verò talem non adeo refugere aut sulfur aut mercurium hinc apparet, quòd ipse vivus, mox in oleum, jam in salem, tandem etiam in pulverem fixum transformari possit, sed tandem quoque non levi conatu in vitam revocari. Jam si omnes illæ micantes in Antimonio atomi in globulorum

bulorum coeant ſtillas, annon mercurium mentientur? ſicut, quæ in ſublimati relucent ſalibus, particulæ, vivum reddunt currentemque mercurium: ſin verò obſcurentur mutuiſque inhæreant nexibus præpeditæ, annon ſulfuris æmulabuntur ſpeciem: nunc autem, quia, quæ vulgò pro Antimoniatis propinant Chemici, ſulfur potius, quàm mercurium pleraque referunt, nos in ſulfure potiſſimum purgandi quæremus principium, &, niſi fallor, clariſſimè demonſtrabimus. Sulfur autem dicimus volatile, quod ſalis volatilis beneficio elatum eſt; nuper enim monuimus immobiles eſſe ex naturâ ſuâ olei tricas. Sulfuris itaque nomine intelligimus, Oleoſi, Volatilis & Acris miſturam, in Vegetabilibus Sapam nominatam: ſed, ais, quomodo volatile poteſt dici, aut inflammabile, quod conſtantiſſimè mediis in ignibus perdurat, ſicut in Regulo vidimus & Antimonii vitro: verùm multa ſunt, quæ partium alienarum contextu ita intricantur, ut ab externis injuriis nihil patiantur detrimenti. Sic intimè metallis ſua inhærent ſulfura, lambentiſque flammæ eludunt impetum; illud tamen ſulfur adeo ignium patiens, ad liquoris vinoſi acceſſum obſequenter ſe emittit, inque ſapam aut melleam offam cogitur inflammabile. Sed etiam perruptis acidiore ignis flammâ ſalium, qui olei defendebant molles ramulos, clauſtris, pars olei accenditur, pars cum ſubjecto ſale comprimitur figiturque. Adeo ut ignis tantùm quâ acidus figere metalla poſſit, neque enim aliud ad ſulfurum conſequendam fixationem quàm acidum præcipiunt Chemici, aut Nitri flammam aut ejus ſpiritum: quippe ut ſemel detonuit cum

Anti-

Antimonio Nitrum, Crocus audit vomitorius & volatilis; si tertiùm, diaphoreticum & sulfur minerale fixum: quò verò igneæ mobilitatis plus habet acidum, eò citius ad intima deducitur salis metallici claustra, quod enim antè plumbeum erat & nigrum, id nunc prodeunte candore saluberrimum evadit modestissimumque remedium. Acidum autem isthoc, quod salium se immiscuit aut olei particulis, non tam pertinaci corporis illius amplexu tenetur, quin tandem temporis lapsu, adjuvante motum aut fermentationem aere humidiore, salium se extricet aut sulfuris particulis, redeunte sic quoque colore illo nigro, metalli proprio. Efferantur enim multa alia & imprimis metallicæ præparationes, aere humido & in vitri interiora admisso, quasi hoc ipso ad putredinem aliquam aut intestinum motum disponerentur Elementa. Equidem nos acidæ lymphæ guttulas è sulfure minerali post ejusmodi mutationem manantes, in supremo vitri collo gustu cognovimus, quas si quis ab aere venisse contendat, næ is coloris facultatisque mutationem explicare nesciat: nam sive Nitrosum sit istud seu Vitriolatum, quod ab aere accedit, jam ultrà figi aut ligari Salem metallicum necesse est: nec movet, quod gravitate suâ externæ materiæ accessum indicet; siquidem hoc ab aqueo liquanteque Elemento contingere possit. Ambigere ergo nemo potest, solis acidis reprimi ligarique metallorum volatile; inque fixum & diaphoreticum degenerare, aut, quod mitius eo est, alterans. Examinemus Chemicorum præparationes, & videamus, quomodo & hic sal aliquod, præter volatile sulfur, accusandum veniat, quomodo scilicet

acidi

acidi corrigentis ratione, quod uni ſali opponi Capite XVII evicimus, ſal hic, quiſquis eſt, ultro ſe prodat. Prima eſt præparatio olei ſeu ſapæ Antimonialis. Extracto per acetum Antimoniali ſulfure rurſumque coagulato, & ſecundum cum Vini ſpiritu ſuperficiali detracto acido, infractâ ſic Volatilis naturâ & Acri demitigato (quid enim aliud fiat?) ponit ſe vomitus virulentia, modeſtéque alvum ciet. At cum Nitrum in figendo potentiſſimum ſit, ejus imprimis hic vires mirari libet: namque ingeminatâ reverberatione metallorum Crocum hactenus emeticum in diaphoreticum vertit, obſcurumque metallum colore candido illuſtrat. Nimirum Nitri flamma, quæ nihil aliud, quàm acidi mediis ignibus interruptæ particulæ, cum primo ſtatim inſultu ob volubilem raptum omnes contingere ſalis ſulfuriſque partes nequeat, reddi bis terve Croco ſuo debet, donec nihil amplius detonet, conſumto aut fixato maximam partem Sulfure. Sed majus quid volvitur in Bezoardici mineralis præparatione; hoc Bezoardicum è Butyro Antimonii, id verò eſt, ſulfure, per modum efferveſcentiæ conficitur. Butyrum vero eſt Purgativa Antimonii Sapa aut Extractio, ſi hoc in metallicis malis, in offam per acidum coacta ſulfuream & inflammabilem: huic tamen ſapæ arctiſſimè cætera cohærent Volatilis Salſique principia, neque enim cum acido efferveſceret niſi ſalis beneficio, id quod in vegetabilium quoque Reſinis frequentiſſimum eſt. Sed unguenti iſtius butyroſi binæ cluent ſoboles paſſimque uſurpantur, Vitæ ille Mercurius & Bezoardicum minerale, quorum alterum ferox eſt & Volatile, alterum vero temperatum & fixum

 reme-

remedium. Vomitivum enim Mercurium etiamnum Volatili ſulfure abundare non effectus tantùm vehementia, ſed & facilis oſtendit inflammatio. At cum Nitri ſpiritus acidus, potentius Sublimati ſalibus figens, Butyri Antimonialis depaſcitur ſalem, efferveſcunt utrinque, & æſtu illo ſaliumque colliſione ſulfur Volatile, aut figitur, aut planè conflagrat; unde enim tantus ſentientibus calor, tantus fumorum eructantium, aliquando etiam ignium globus? adeo ut, quod in Vegetabilibus perſpeximus, hic etiam in Metallicis locum habere videatur; unius ſcilicet Elementi defectu aut jacturâ, ſive Oleoſi perditâ inflammabilitate ſeu Salis decuſsâ acrimoniâ, ſive etiam Volatilis fixatione, totam continuò metallici ſulfuris formam exortamque inde facultatem inverti. Quomodo verò uno Nitri acido ſingulæ hæ principiorum proprietates enervari queant, in Butyro experiamur. Quin ſi rectè attendimus Experientiæ, reperiemus butyrum hoc per efferveſcentiam ſublimati cum Antimonio confieri; nam ne ſolum ignem aut deſtillationem hoc facere exiſtimes, etiam ſine igne, ſola Sublimati cum Antimonio miſtura in cucurbitâ, naturali caloris efferveſcentiæque impetu, butyrum fundit perinde καυστικόν. ſed tædioſior eſt hæc per ſe operatio & multò, quàm quæ per ignem fit, tardior; quando enim hic triduo vix impetres efferveſcentiam, iſthic totidem ferè horis ſubjecto igne ſulfuris conſequaris Antimoniati offam. Hanc verò butyroſam offam ſi in ſuas partes reſolveris, & Antimonii habebis Volatile ſulfur & Sublimati corroſivos ſales, Mercurii autem nihil, unde vitalem illum exſpectabant

tot

tot pollicitationibus Chemiſtæ. Ratio quidem effecti hujuſmodi eſt: Mercurius ſublimatus, cum nihil aliud ſit, quàm Vitrioli & ſalis vulgaris per Mercurium & in Mercurio adunatæ particulæ, corroſivæ potiſſimum aciditatis causâ, Antimonii ſalem ſulfuri intimatum corripit, cumque eo effervefcit; hoc æſtu vindicatur à compede ſuâ terreâ ſulfur, volatiliſque beneficio urgente igne aſcendit, ſed eodem quoque conjugio trahit effervefcentes ſublimati ſales, atque butyri ſpecie in receptaculum revomit; relicto in fundo vivo & mobili Mercurio inter ſalis & olei fixioris particulas, qui, ſi ignem ulterius urgeas, poſt butyrum elevatur, primùm crudus & ſine ſocio, mox cum ſulfure illo in Cinnabari. Utque intelligas Mercurium nihil adeo ad butyri deſtillationem conferre, multò minus, ad Mercurium illum vitæ imaginarium, etiam ſine ſublimato, ſolis Vitrioli Saliſque ſpiritibus antimonii prolectare butyrum Baſilius Valentinus docuit, in ſuo curru Triumphali. Eſt itaque butyrum continuata ſalis corroſivi cum interiore Sulfuris Antimoniati ſale effervefcentia, in quam ne protinus & ad ſenſum erumpat, craſſiores olei particulæ impediunt, acerrimo tantùm & penetrantiſſimo Nitri ſpiritui obnoxiæ; eo enim accedente perfoſſis olei tricis innexum ſal effervefcit & poſt ſubſidentem ab effervefcentiâ flammam nec acumen habet ampliùs, neque ipſum ſulfur aut volatile eſt aut inflammabile. Quare nec emeticum eſt ullo modo nec purgativum, ſed molle diaphoreticum, ligato ſcilicet volatili ſulfure, quod ob inſignes dotes Bezoardicum minerale audit. Sed Mercurius ille vitæ dictus (qui nihil aliud, quàm ablutio

butyri antimonialis) salvo sulfure isto inflammabili & Volatili, ob Vitriolati muriaticique salis in figendo impotentiam, sævitiæ etiamnum Antimonialis est particeps, quàm ut temperes, vel unâ cum Nitro detonatione, aut sponte in arenæ balneo, vel etiam Tartari sale opus erit. Nitri flammam acuminis figentis ratione hoc facere alibi notavimus. Balneum arenæ acidum quoque spirat, estque naturâ in figendo potens, sed quòd sale Tartari aliqui aut Lixivio vim emeticam edomuere in purgantem, à detersione pendet saponatâ; quippe efficaciùs sublimati sales lixivium abluet quàm mera aqua, sed neque effervescentiam hoc modo effugiet, volatile isthoc emeticum aut evaporantem aut figentem; quemadmodum certo Capite vidimus. Non est igitur ut ambigant, quod in Antimonio est Purgativi aut Emetici, sulfur esse, aut in sulfure isto, ceu in sapâ, delitescere, Salsum, inquam, & Volatile: quod etsi nomen aures malè sustinent, rogo per Chemicorum fidem, ut aliud nominent demonstrentque re tale. Sed si Mercurium vocent, concedant, quæso, esse hunc personatam sulfuris animam atque, ut in corpore fermentet, compositum aliisque principiis sociatum; neque enim simplex est continuò & purum in Naturâ suâ, quod Chemicorum artibus dividi nequit. Ostendendum illis quoque fuit, metallicum illum & Philosophorum Mercurium eadem in corpore movere symptomata, quæ vulgò ab Antimonio exspectantur crudo; atque vulgata illa Antimonii sulfura, Mercurium suum in ventriculi menstruum aut humores revomere, antequam massam expurgent. Sed quis credat, quod tantis laboribus Chemi-
corum

corum evocat induſtria, unius horæ articulo in Ventriculo proditurum eſſe? Sal verò Volatile Cryſtallinum deſtillatione Baſilius elicit, cui probati quique Chemici ultro aſſentiuntur; eſt quoque principiorum varietatis argumentum, quòd uti Vegetabilium plurima, ita ipſum quoque Antimonium diverſis miſceatur menſtruis, quod, cum ſecundùm unum idemque principium, utpote uno tantùm ſimplicique modo figuratum, evenire nequeat, â variis corporibus iiſque à ſe diverſis repetendum fuit, ne Chemicis quidem diffitentibus, quod oleoſum eſt & quatenus tale, oleoſo tantùm menſtruo recipi, quod ſalinum eſt, ſpiritum duntaxat aut aquam admittere; adeoque, ſi oleum aqueo coaleſcit menſtruo aut ſpiritui acido, non quà tale, ſed quâ ſalinum eſt, hoc fieri: refugit enim per ſe acidi & aquei contubernium. Ergo quòd in Terebinthinæ oleum totum fere refundatur Antimonium, liquidi ſulfuris ſignum eſt; quòd in lixivium, quòdque in acetum, ſalis eſt interioris beneficium: quidquid ſit, abſque hac particularum diverſitate menſtruis tam diverſis, pororum ſcilicet figurarumque reſpectu, non reſponderent metallorum illa ſulfura; diverſa autem hæc elementa nulla vetat religio Oleum aut Salem vel denique Spiritum vocare; adeoque in Metallicis quoque eandem principiorum miſturam agnoſcere, quæ eſt in Vegetabilibus: ſed quia & pluſculum Volatilis, & arctiùs metallorum ſapæ connectitur, ideo tanto labore fuit opus ad caſtigandum hoc acumen figendumque in Diaphoreticum. Et proinde nuda illa intemperataque ſulfura non temerè propinanda, ſed ad uſus reſervanda vulnerarios, tam

quod cum Terebinthinæ oleo, quàm quod Lixivio extrahitur ſulfur; elici tamen ex hiſce, demitigato fixatoque volatili, utiliſſima remedia poſſe, Chemicorum experimenta plus ſatis teſtantur.

AURUM, ARGENTUM, ÆS, FERRUM, LAPIS LAZULI, CHRYSOCOLLA, VITRIOLUM.

Aurum metallorum præcipuum ad Cardiacas Alexiteriacaſque compoſitiones pluribus probatur, paucis in Purgans receptum. Circumfertur Leonhardi Fioravanti ex Sole Vomitivum, certiſſimi & maximi uſus. Sed cum hoc ad ſecretiora pertineat, ad Argentum ſatis eſt tranſiiſſe, cujus præparatio ad purgationem multiplex eſt. Certè quæ cum ſalis Ammoniaci aut ſpiritu aut liquore fixo extrahitur Tinctura, commodiſſima eſt, modeſtiſſimumque Hydragogum. Cum enim ſale iſthoc, ut demonſtravimus, Volatilis nonnihil emetici exſolvatur, temperatius evadere in purgando neceſſe eſt, & pro humorum ſubinde naturâ ad Renes, quidquid eſt ſeroſi, deducere. Salem inteſtinum efferveſcentia cum acido oſtentat, conſtare enim debet, nihil cum acido præter ſalem exæſtuare; reſiduæ ab efferveſcentiâ Cryſtalli, ſeu coactum in acido ſal, ad aquas ducendas commendatiſſimum eſt; rigiditas equidem ſalis metallici temperamentum plenæ fixationis reſpuit. Certo tamen menſtruo purgativas Cryſtallos in ſudorificas convertit Boylæus. Cæterum amaritudo ipſa per ſe acrimoniæ ſalinæ teſtis eſt. Tinctura cum Alcohol vini, volatilis

tilis ſulfuris, Cornu Lunæ, tenacioris viſcidique glutinis ſunt argumenta, utque proximè innexum ſali ſuo oleum credas, Cryſtallum ubique comitatur Tinctura. Quòd ſi hæc Cryſtallo ſubducitur, jam miſturæ aut ſapæ partem, & cum eâ purgandi facultatem imminui neceſſe eſt; ſanè credunt Chemici, Lunæ ſalem album mitiùs agere cœruleo illo, & ad urinas ſæpius quàm alvum abire; ſcilicet, quia uno Elemento minor eſt miſtura. Quòd ſi vehementiùs agere Argentum contingat, vomitumque excitet, cum ejus ſulfur naturâ tam Volatile non ſit, quippe proximè ab aurei ſulfuris fixitate diſtans, admiſti æris culpa eſt; hoc enim crudo acumine ſævius percellit, quàm Argentum. Æs ad Purgationem à Veteribus frequenter eſt adhibitum in ſquamâ, λεπίδα Græci vocant, intelliguntque καθ' ἐξοχὴν æris illam. Eſt autem ſquama cocto æri decuſſum in fodinis ramentum, unde ἡλῖτιν Dioſcorides & clavarem nominat, omnium optimam: hæc vel cum aceto trita aut macerata, vel, quod Paulus jubet, aceti potu comitata hauriebatur: nimirum, ut ſubitâ ſalem inter & acidum effervefcentiâ Purgatio feſtinaretur; tarditatem enim ſæpe eſſe in culpâ vehementiæ alibi oſtendemus. Etiam florem æris æſque uſtum tum temporis uſurpabant Medici, ſed quæ nos hodie ob virulentiam fugimus, ſerióque fugere Braſſavolus ille expertiſſimus juſſit. Felicius verò hoc, quod illi ære, nos Vitrioli ſale conſequimur, Venerei ſulfuris veriſſimâ larvâ. In Venere autem, tale quoque ſulfur eſſe, quale in Antimonio oſtendebamus, è Butyro conſtat Veneris, quod à ſublimati cum ære miſturâ inflammabile prodit & volatile,

ſuppreſſo etiam & in rivum coeunte vivo Mercurio. Hoc quoque ſulfur ferox poſt varia temperamenta & fixationes in ſomniferum vertitur medicamen, ut non aliud fuiſſe credas, quàm vulgatum illud Vitrioli ſulfur Narcoticum, rurſumque hoc Vitrioli ſulfur, præter Venereum iſthoc, nihil. Ut hinc etiam appareat, quod in Vitriolo eſt Emetici, æris eſſe Volatile ſulfur. Ferrum deinde Chemicorum ludus & exercitatio, multis cluet præparationibus & ad purgandum accommodatur, ſed totidem quoque adſtringendi modis probatur, ut dubium ſit, unde naturæ diverſitas repeti debeat. Terreum eſſe metallum acidoque ſale imbutum non negabit, quiſquis & exuſtos diu Crocos & aquas ferratas obſervavit; & quò credam, ſulfuris hoc eſſe vulgaris acidum cum terrâ & oleo coactum, Becheri illa nuper & rara metamorphoſis, ex limo cum ſulfure Ferrum componentis, liquidò perſuaſerit. Utroque autem nomine ϛύφον eſſe poterit. Equidem dum acidi iſtius & terrei eſt particeps, adſtringit, eo verò in aquas excuſſo, volatili ſuo ſulfure & ſale purgat; Chalybem enim crudo Ferro magis purgare conſtans eſt opinio. Sed, inquis, Acidulæ, quas à ferro traxiſſe acidum aut vitriolo juſta ſuſpicio eſt, cur illæ alvum ducunt, ſi acidi eſt adſtringere. Atqui ego acidulis metallica ſubeſſe ramenta volatiliſque ſulfuris grumos non ex Ochrâ tantùm ſed & Atramenti confecturâ latiùs deduxi. Deinde, qui multo & longo igne torrentur Croci, ad unum omnes ſunt ϛυπτικοὶ, quos tamen, ſi acidi hic eſt jactura, purgativos eſſe decebat. Sed repetendum eſt, non ſic Acidi tantùm ſed & Volatilis ſulfuris eſſe, aut exhalationem

lationem quandam aut fixationem, hoc enim per ſe poſſe ignem perſpeximus. Volatile certè & Ferro ſubeſſe ex fermentatione, Salem autem ex illo cum acidis æſtu ſolidâque Cryſtallo concluſimus. Quòd ſi Martem ardenti ſulfuris tedæ committas, non aliter atque Vitrioli oleum, ſulfuris flamma acida purgativum ſalem abſorbet, inque ſitulam depluens, in martem cogit aperitivum, ſcilicet ſalvo principio ſalino-volatili: ut mirandum ſit, quod ab acidâ atteritur figenteque flammâ, etiam volatile eſſe poſſe; id quod accidere monuimus, ſive ob metallici ſalis rigiditatem, ſeu ob principiorum arctiſſimam inter ſe unionem; quæ tamen tanta non eſt, quin expugnari tandem diſſolvique iteratâ reverberatione Nitrique acido poſſit. De Vitriolo nihil amplius dico, quòd id alibi tranſactum ſit. Sed in hoc regno etiam lapides ſe ad Purgationem commendant, fueruntque & ſunt hodie qui lapidi Lazuli plus fidendum exiſtiment quàm Elleboro. Hos tamen lapides, metallicis perfundi partibus, earumque ratione purgare in Armeno & Lazuli lapide, utrâque ejuſdem matris ſobole oſtendemus. Æs quidem elici poſſe, ex Armeno & Lazuli, purgativi, ut oſtendimus, ſulfuris plenum, Pyrotechnicis notiſſimum eſt, & niſi ab ære originem repeterent hi lapides, cur maximè æris fodinis innaſcuntur & in metalli ſinu? cur colore matrem ſuam manifeſtè teſtantur? ſed quæ in Lazuli nonnihil deficit viriditas, & ad cœruleum inclinat color, ab Elementorum pendet ingenio: mutari enim & ipſum æris viride in venetum artificio poteſt. Ex lapide Lazuli Chryſocollam evocari experimento conſtat, quam æris

esse alumnum nemo neget: hujus quippe respectu tam violentè purgat. Ergo, cum par omnium sit in expurgando ratio, non temere ab uno ære vis illa deducitur. Vomitionem autem, quam cum ære habent communem, feliciter temperant lotiones frequentes, de quo supra. Lapidem verò Cyanum, id est, Lazuli, certum est Græcos non fuisse ausos gulæ committere, sustinent enim esse καθαιρετικὸν, cui etsi Matthiolus *purgatorium* reddiderit, jure à Fallopio repressus reddere debuit *derasorium*, assentiente hic quoque Fuchsio. Sed vel mediocriter doctus καθαρτικὸν aliud esse sciat, quàm καθαιρετικόν. Græci autem hac suâ prævaricatione nihil aliud effecerunt, quàm ut majore cum applausu, non in purgantia tantùm, sed & Cardiaca & corroborantia reciperetur Cyanus: exstant in officinis non pilulæ tantùm lapidis Lazuli, sed &, nescio quâ fiduciâ, in confectionem Alkermes, Antidotum, sive ϛυπτικὸν seu ἀναληπτικὸν, lapis recipitur Lazuli. Quod ut omitti impune potuit, ita aliquando fastidiente Stomacho volatile metallicum alvum ducit, atque è corroborante in purgantem transit confectio. Ex his itaque omnibus manifestum est, metallicorum quoque, respectu principiorum misturæ, non alium esse genium, quàm vegetabilium, sed quòd ibi non tam clarè & ad oculum se exponant singula principia, mutuum facere & arctissimum inter se nexum, adeo etiam, ut putredinem principiorumque ἀνάλυσιν ægrè admittant, correctoriorumque levium vires eludant, cum in Vegetabilibus contrà minimâ quæstione Sapæ illa mistura disjiciatur, humidoque, quo copioso interpolatur, putrescat.

SEC-

SECTIO ALTERA.

CAP. XXIII.

Demonſtrato jam Principio purgativo, in Metallicis perinde ac Vegetabilibus, ad Purgationis properatur accidentia, effectuſque & cauſæ ratio initur. Sed antequam venis committuntur purgantia, falſæ quædam de iis & infatuatæ opiniones diluuntur. Diſquiritur utrum ſint venena; eâ occaſione venenorum eluceſcit natura. Multiplex venenorum diſtinctio. Occulta alia, alia manifeſta. Ex naturâ aliqua, ſed bene multa ex præparatione. Ventri quædam, nonnulla ſanguini infeſta. Etiam ex accidenti & vitio natalium. Metallica aura in herbis non purgativa ſed corroſiva, contra Quercetanum & Kircherum. Elleborus albus ex præparatione venenum, Gallorum Venenum Cervarium, Galeni βιλένιον *Bebelianæ reſtituendum. Venenum propriè Ariſtoteli, quod in minimo nocet. A Veneni ſuſpicione vindicantur Purgantia. Campegius notatus.*

IGitur expreſsâ & Metallicorum æquè ac Vegetabilium reductâ ad commune Principium purgativâ formâ, reſtat, ut, quæ effecti cum causâ, purgationis cum purgante ſit ratio, conſtitutâ antè methodo evincamus, & quàm ſeveriſſimè cum uſu practico, cumque aliis eorum φαινομένοις comparemus; quâ in causâ nihil me facere aliud oportuit, quàm ab ipſo medicamentorum apparatu, ſiquid inde fortè purgationi accidat,

accidat, incipere, & hausti deinde Purgantis substantiam, in ultima usque viscera elapsam, atque nostris inde auspiciis in alvum redeuntem, in intestinorum, quà patent, aditus, viscerumque propria vomitoria deducere. Prudentiæ itaque erit, suspecta ubique medicamina, & à quàm plurimis veneni damnata à nocentissimis Medicorum manibus absolvere. Sed inspiciamus ex venenorum ingenio, quid natura, quid ars, quid vel minima circumstantia in permutandâ Purgantis sorte possit: quod ut rectè fiat, venenorum proprietates placet altiùs repetere, vel in Fallopii gratiam. Venena vel occulta sunt vel manifesta, pro qualitatum sensuumque affectione. Occulta dicimus, non quæ aciem ingenii fallant, licet hoc etiam pleraque, sed quæ sensibus non perinde se ingerant. Manifestè autem virus suum insinuant acria quæque, & calces & stygiæ Chemicorum aquæ, ipseque Mercurius sublimatus, nonnullis quoque pro purgante habitus. Sed in his occulta, cum etiam sensum adulentur specieque boni imponant, longè meliore jure venena dicuntur, quàm manifesta illa sensibus suspectam qualitatem ultro testata: accedit, quòd occultorum pleraque in minimo momento jugulent, in his quàntitate demum, adeoque solo accidente, pestem inferente. Rursum occultorum alia ventri, alia sanguini infesta sunt. Ventrem infestant, quæ succo scatent crudo terrestri aut metallico. Aconita, Juca Americanorum, Fungi, in Arvernis & Rutenis Elleborus albus; omnia autem ex loci ingenio, adeoque accidente. Sanguini duntaxat nocet animalium pestifera sanies, Aranei, Scorpionis, Viperæ, Ellebori Succus

præ-

præparatus, Croci Antimonialis infuſio, & alia. Sed antequam hæc examinemus, manifeſtorum deducemus rationem, quæ omnibus perinde partibus inſidiantur, nam & ventre recepta fibras dilacerant, & per vulnus ſanguini immiſſa (ſive lixivi ſeu acidi Chemicorum liquores) liquatâ aut denſatâ maſsâ vitalitatem extinguunt; ut mirari debeam Fernelium, acutè ubique, ſed acutiſſimè in dialogo de Abditis rerum cauſis diſſerentem, in manifeſtâ hac qualitatum luce, neſcio quid caliginoſi & occultæ proprietatis, ſine ullâ neceſſitate ambire, ambiit tamen, & cap. XV. libri ſecundi *non cauſticâ tantùm & ſepticâ vi* metallica nocere, *ſed totius ſubſtantiæ diſſidio nonnihil etiam veneni reconditum habere* dixit. Sed age Ferneli, inſpiciamus tot manifeſto diſcrimine nota Pharmaca: quâ tu vivam calcem facultate, quâ aquas fortes, mercuriumque ſublimatum venenoſa eſſe contendis? Reconditum ne id eſt, cujus manifeſta eſt qualitas, & apertiſſimæ inſidiæ? Calx viva tot ignium excruciata flammis, inter acuminatos forti Vulcano angulos, igneum recondit hoſpitem fovetque; hic non niſi ſoluto per deliquium ſale detritiſque angulis ſecedit. Calx itaque viva, dum ſtomachali liquido diſſolvitur, aut in flammam aut torquentiſſimum vertitur ignem, hunc neceſſe eſt quàm ſæviſſimè fibras lacerare & inſtante tandem dolore occidere. Utque hoc ſcias ab acri illâ qualitate oriri, aquarum macerationibus ejecto *καθ' ἀντιπερίστασιν* igne, extinctâque jam calce, & acuminis impetus & nocendi pereunt vires; Calcem enim murariam longo humidi diluvio ſaturam & virgines ſæpe lymphaticæ & pueri vorant laſcivi. Sed aquæ fortes,
quarum

quarum virus lethalibus infamatum exemplis, quo alio, quam igneis illis penetrantissimisque salium spiculis ventris erodunt fibras, horrendaque excitant symptomata? & ut in hac acrimoniâ, manifestâ certè qualitate, veneni formam constitisse appareat, demitigatâ eâ tolerari à corpore possunt, vicemque sustinere medicaminis. Hoc autem non tam aquæ impetres misturâ quàm spiritus volatilis conjugio; sed etiam, si cum Sale lixivo effervescant, mutuisque motibus desæviant particulæ, ignis ille stygius eliditur consuescuntque cum corpore aquæ Fortes. Eadem sunt sublimati incunabula, nam quod in eo est καυστικὸν, salium deberi conjugio supra vidimus: quòd verò horumce Salium acumen mercurii societate augeatur, à Volatici metalli est ingenio: quippe, cum singuli mercurii globuli Salium armentur spiculis, mirum non est, corrosivos per se Sales fortius in partes arietare inque membranarum adigi fibras. Sin aliquid ejus aut per vulnus aut communi humorum euripo in sanguinem devolvitur, à quo non abhorret metalli mobilitas, & illum protinus ex salium ingenio densatum iri probabile est, conclamatamque fore salutem; tantum abest, ut Veneno huic inter Purgantia locum tribuamus, salutifera remedia. Et ne hoc iterum aut à mercurio repetas aut specificâ formâ, novo addito mercurio, justèque interpolatis salibus dulcescit mistura, pituitosamque fæcem commodissimè detrahit, ut in remedium transiisse agnoscas. Sed ad Mercurium sublimatum Arsenicum refero & Auri pigmentum, vernaculos metalli sudores, ex mercurio partim, partim alio metallo & sale caustico oleo-

que

que inflammabili conflatos; esseque in acido Arsenicalis Veneni quærendum principium, dolorum torsionisque ratio & ipsa Chemicorum probat correctio, Tartari hic oleum, Vitrioli Colcothar Salemque Urinæ volatilem commendantium. Cæterum si venena hæc assumta, fortunâ ad alvum deturbentur, invitante humorum orgasmo, aut, quod minus periculosum, vomitu excutiantur, jam ad salutem iter est. Neque ideo existimandum, à Veneno unquam per se justam purgationem exspectari posse, sed ipsam potius purgationem, sive naturæ seu artis opus, tanquam Veneni ἀντίδοτον funesta inde mala avertere; quippe, si mercurius ille sublimatus purgat, hoc mercurii admisti beneficium est; sin torqueat excitetque hypercatharsin, Salis corrosivi est vitium, irritantis perpetuò inque furorem convertentis humores. Jam ad occultum genus transeamus, cujus qualitates sensum fugere diximus. Sed primùm ea, quæ ventri noxam inferunt, disquiramus. Hic Aconita, Fungos Jucamque suam Americani declamant. Aconiti plurima sunt genera mortifera, unum salutiferum: huc quoque Doronicum aliqui referunt, & dum alii perniciosissimum deprædicant, alii ne nocere quidem contendunt. Corthuso & Matthiolo virus crepantibus, unus se objicit Gesnerus, contrariumque se evicisse experimento testatur; dedit enim in offâ radicis siccæ pollinem, dedit in melle aliquoties nihil expertus funesti. Unde hæ, inquis, sententiarum concertationes? à promiscuâ siccæ humidæque radicis oblatione non temerè existimem, siquidem experimento edocti sumus succulentarum partium alium esse genium quàm exsiccatarum;

rum; quid ergo eſt, quod ſuccum infecit, cujuſque amiſſio à veneno herbam abſolvit? Metallicæ auræ partem eſſe credo, cum in Doronico Pedemontano oſtendi ad ſenſum metallum queat. Ad naſcentis ibi radices vivus irrepit Mercurius, & in partes invehitur plantares, cujus pars dum radicis evulſione excutitur, pars ſucco alibili intimata, expreſſo demum eo & per noctem in vaſe relicto, fundum petit vivâque ludit mercurii imagine, quod inſignis ille Septalius ante annos non ita multos ſocietati Anglicanæ primus indicavit: nec dubitari poteſt, quin ille volatili fartus Mercurio ſuccus lethalis ſit, ſicca, ſucci mercuriique amiſſione, radix, Alexipharmaca: ut Arabum tandem & ſalutiferum in officinas remigret Doronicum, relictâ foris virulentiâ. Notandum verò Mercurium hunc Ventri ideo eſſe infeſtum, quòd, dum herboſi Succi Partibus retentus exſolvi nequit, in flatum atque tumorem attollitur. In Fungorum nonnullis cruditas eſt ventoſuſque ſuccus, qui veſcentem ſtrangulet, & ne in his quidem ſemper & ubique par ſucceſſus. In Hermodactylis etiam hoc noſtris Braſſavolus agnoſcit, eſſeque germanum Dioſcoridis Colchicum, quod tam religioſè ad Arthritidem aliqui commendant, exiſtimat. Sed, Braſſavole, in Ægyptiorum Gynecæis, teſte Alpino, nihil hoc bulbo frequentius, quos non unos aut binos, ſed denos ad Pinguedinem mulieres & ſæpe vorant. Jucam verò Americanam, quam *Mandiocam* Barbari vocant, non alio quàm ſucco quodam volatili nocere ventremque inflare ex inſulanorum conſtat commeatu. Duplex autem Volatile in Jucæ Succo non immeritò agnoſcas,

Viru-

Virulentum unum, metallicum, mercuriale; Alimentare alterum, cereale. Quemadmodum iſthoc, ſecundo ignis gradu diſpellitur, ita hoc coctione in Sapa reſervatur, fitque ex eo acetum, deinde etiam mel, utraque alibilis ſucci plena: Radix in ſole exſiccata & ad leviſſimum calorem volatico orbata veneno, in pollinem redigitur farinaceum, pinſitur, ſubigiturque in panem, inſulanis illis ordinarium, *Caſſavi* vocatum. Succi autem crudi cochleare potantem certò extinguit, crepantibus flatu inteſtinis. Mirum verò eſt & in hac plantâ, quod in Doronico & Elleboro, eam ubique virulentam non eſſe; nam cum in Antillis inſulis venenata ſit principiò, in continenti Americæ nihil habet tale, ut ſuſpicio ſit ex ingenio loci ſurgere aliquid auræ metallicæ, quod nutritiam inficiat pulpam: & cum hoc etiam purgantibus certis in locis contingat, quid mirum eſt veneni naturam induere, quod naturâ erat medicatum. Ab ejuſmodi procul dubio aurâ in Avernis Elleborus inficitur; qui & beſtias & veſcentes quoſque ſuffocat; cum in Tridentino tractu mitiſſimus ſit. Veneni autem & Fungorum eſt imitator Elleborus τῷ πνίγειν, ut non abſimilem credas contaminaſſe auram. Scammonium Schœniticum virulentiæ ab omnibus damnatur, quod verò aliunde advehitur, omne ſalutiferum eſt. Utque hoc quodcunque eſt venenati, loci vitio imputare habeas. Aconitum in Etruriæ agro idem & edulum naſcitur & funeſtum. Colchica jam niſi in Colchis venena non ſunt. Cumque iſta mutatio aut ab aëre aut terrâ peti debeat, aëre ſemper mobili & quocunque perreptante, terræ contrà ſuccis vaporibuſque certo

tantùm tractu exæſtuantibus, ab hiſce potius, quàm aëre vago deducendam eſſe ratus ſum. Poſſe autem & herbis peſtilentem afflari auram à metallicis partibus ex eo conſtat, quòd in Poloniâ in graminum irrepere radices vivum Mercurium ſcribat Beguinus, & in Dalmatiâ arborum truncis inſtillatum mobile metallum oculorum ſe judicio cognoviſſe non vani teſtentur Chemici. Certè hic Lugduni oſtentatam ſibi fuiſſe arboris particulam vivo oblitam Mercurio, retulit mihi Doctiſſ. Nicolaus du Pont Med. Colonienſ. Imo, quod majus eſt, ex frondium colore metalli involantis ingenium cognoſci ſcripſit alibi Acoſta, ut Alexandrum ab Alexandro prætereeam: quare ut mercurius in Plantas irrepit, irrepere etiam Arſenicales Sulfureique halitus poſſunt, medicatamque Purgantium virtutem venenare; ut malè Kircherus, quod accidenti quodque caſui debebat, naturæ imputarit proprietatique Purgantium. A Salium mercurialium arſenicaliumque vaporibus purgantium naſci facultatem, idem eſt ac ſi dixeris à Sublimato naſci, hic enim inter Sales vivus cogitur mercurius. Sed quaſi mercurii aurâ perfuſus, Kirchere, modo Herbarum venenatarum peſtem à mercurio repetis, modo Purgantium formam, ipſo rurſum mercuriali viru à Salibus concentratis deducto. Cur non, qui mercurium venenant Sales, iidem & herbam inficere ſuâ peſte queant; mihi quidem perſuaſum eſt, ſi metallici quicquam in herbas ſe ingerat, & herbam fore metallo obſequentem, itaque ſi Lathyridi Cataputiæ aut Scammonio arſenicalem quandam auram adflaverit Terra, non ventrem ſic ductum iri, cum ne Arſe-

Arſenicum quidem propriè purget, ſed prout vel inteſtina aut ſanguinem infecerit labes, eroſum iri aut denſatum; cum ipſum hoc faciat Arſenicum, in quo cum acidum ſupra oſtenderimus, neque acidum tantùm, ſed & corroſivum, purgantium erit longè aliud & medicatum quærendum principium. Sanè cum in metalla perinde atque herbas & fortè nonnullas animalium partes iſta purgandi vis redundet, quid herbas ſuadeat à metallis potius accepiſſe, quàm communi omnium matre, ſpiritu, purgandi vim? nam ipſa Purgantia naſci, ubi nulla metallorum veſtigia, nulla Mercurii aut Arſenici, vel noſtra hæc regio oſtenderit, cum & Ægyptus & ipſa ſine metallis terra, multa producat optimaque pharmaca: utque ſcias clementiorem hic ſpirare auram, Perſeam ajunt in Perſis, fortè propter metallicam auram, adeo venenatam, in Ægyptum tranſlatam, deficiente hac aurâ ferali exui qualitate. Ut appareat medicamenta & Purgantia fortuitò & præter naturam venenari poſſe, verâ & eſſentiali Purgantium formâ oppreſſâ; jam verò purgantia, non à metallicâ tantùm aurâ ſed & artifici manu converti in δηλετήριον ſanguinique infeſtam peſtem poſſunt: at hoc in Elleboro oſtendemus, delibatis primùm iis, quæ naturâ ſic comparata ſunt, ut in ſanguinem recepta noceant, gulam adeo non lædant. Hic animalium & præcipue inſectorum objiciunt ſaniem Quid, quæſo, à Scorpione aut Viperâ proficiſcitur? minutula certè & exigua gutta, dimanat tamen in tantam longitudinem tabes; hic ſe ſenſibus nihil infert damnoſi, cum & à ſalivario non differat humore. In Viperis glandulosa ſubjacent

cent dentium primorum alvearibus veneni ſtabula, quæ validâ in carnes morſicatione occultum ructant virus, niſi in vulnere, innocentiſſimum, nam & deglutiri impunè poſſe certis experimentis confecit Fr. Rhedi Florentinus. Verùm hic quoque pro aëris ingenio venenum ſubeſſe aliqui voluerunt: & ſive veneno manus ſpoliaverat, ſeu natura ſic loci ferebat, memini nos Italico itinere in cœnam appoſitas viperas, non procul Sinueſsâ, avidè & innocenter cœnaſſe, Scorpiones autem certum eſt, cum pro anni tempore, tum regione, aut venenatos eſſe aut non eſſe: nam qui in Etruriâ impunè tractantur, in Apulia nocentes, Tuneti vero in Africâ omnium nocentiſſimi ſunt. Cæterum præparatione etiam herbarum ſucci in venenum tranſeunt ſanguinarium, nihilque in hoc genere Elleboro familiarius, quo & Barbaros & Gallos Celtas in conficiendis feris uſos eſſe juſta ſuſpicio eſt, &, licet nomenclaturam aliam alii habeant, in uno tamen Elleboro paſſim conveniunt, quicquid enim Plinius Lœmium alibi vocet Venenum Gallorum cervarium, libro certe 25. cap. 5. *Galli*, inquit, *in Venatu ſagittas Elleboro tingunt.* Quod Aulus Gellius etiam adſtipulatur. Sed cum Lœmium Celtis dici velit Plinius, Xenicon appellari idem hoc venenum Ariſtoteles ſcripſerat, in libro de mirandis auditionibus. Sed utrum hoc Gallorum venenum Barbarorum ſit Ninon, Galenique & Pauli Βελένιον, incertum eſt; ſatis eſt perſimilem ejus eſſe atque Ellebori genium, in vulnere ſcilicet lethiferum eſſe, gulâ autem receptum innoxium. Sed hic audio Galenum in libro de Theriacâ ad Piſonem

cap.

cap. x. ἐλένιον, inquit, ὁμιλῆσαν τῷ αἵματι τῶν τιτρωσκομένων ἀναιρεῖν δύναται, ἐσθιόμενον δὲ ὑφ' αὐτῶν ἀβλαβές ἐστι. Hic autem Bebelianam editionem mendo fuiſſe lapſam, vidit Dalechampius & pro ἐλένιον legendum βελένιον, ſuadente vel hoc imprimis etymo, ut enim παρὰ τῷ τόξῳ τοξικὸν παρὰ τῷ βέλει βελένιον: derivationem verò hanc ſeriò defendunt inſcriptiones Aquileienſes Apollinis Beleni, Venetiis à me viſæ in Grimanorum Palatio, lectioque Julii Capitolini; quare ut nunc idem mendum Paulo demant, rogandi ſunt typothetæ. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Elleboro ſanè hodieque in Luſitaniâ venatores ſpicula inficiunt, ſonatque Cantabricâ linguâ *Pedigambra*. Verum de præparatione ſucci Elleborini Crato diſputat, in Epiſtolâ ſecundâ libri ſecundi ad Thomam Jordanum. *Ineunte æſtate*, inquit in Imperatoris perſonâ, *ſuccus ex totâ plantâ, Elleboro albo, exprimitur, iſque æſtivis diebus in ſole præparatur atque in bovino Cornu aſſervatur. Cautio autem ſumma ab iis, qui uti volunt, adhibetur, ne odor, qui è Cydoniis exſpirat, hunc ſuccum attingat, ſubito enim omnem lædendi vim amittit. Cæterum ſi linguâ deguſtetur nulli noxius eſt, ſanguini verò communicatus exitioſus.* Hanc itaque præparationem non aliam eſſe apparet quàm Chemicorum Circulationem, quâ liquida quæque uſque in ſubtiliſſimas dividuntur particulas; verſat naturalem ſuccum ſalemque purgativum ſolis æſtus, & longà maceratione à compede liberat viſcoſâ; hunc ſic exaltatum ſalem quid miremur ultra Purgantium facultatem maſſam quàm ocyſſimè eliquare venenoque extinguere. Eſſe autem ſalem eundem purgativum ſed ſubtiliorem, ſuccus Cydonio-

rum oſtendit, quippe qui Purgantium ſali naturâ adverſus nunc vel halitu hoc venenum extinguat, quem ideo longiſſimè abeſſe Pharmaci Hiſpani jubent, & quòd Ariſtoteles quernum corticem ceu ἀντιφάρμακον hic commendet, non aliunde eſt, quàm quòd acidus Vitriolatuſve, ſi ita vis, Quercus nidor ſalinum figere volatile & enervare Cydonii inſtar poſſit. Jam quòd ſibi permiſſum virus animal ſubito extinguat, inde evenire credendum eſt, quòd ſpiritus, quiſquis eſt inteſtinus & ſupra alios volaticus, nexibus ſuis aut exolvatur aut exolvi continuo expanſionis motu decertet, quòdque in debitum mox liquorem expoſitus minima ejus peragrando pro particularum, quas trahit, mole ita aut condenſet momento aut diſſolvat ſanguinem, pendente ubique vitâ. Verùm nihil hic eſſe dicis, quod non gulam æquè infeſtet atque ſanguini reddi per communes lactearum aut venarum meſaraicarum latebras poſſit. Redditum iri quis neget? niſi acido ventriculi fermento aut blennâ inteſtinali, vel etiam bilis, ſucci Pancreatici aliorumque tumultu obrutum figeretur aut certe dilueretur; halat enim venter acidum nidorem Cydoniato non diſſimilem, vomit frequentem hinc inde humorem, veneni craſim evertentem; cum in ſanguine temperata ſint omnia, mutuiſque æſtibus conciliati humores placidè oberrent. Hic quoque ſuccus jure merito à vulneribus ulceribuſque removendus eſt, laudante aliàs Ellebori naturalis pollinem, ad corporis Purgationem per Fiſtulam, Aquapendente. Sed, quod Ellebori eſt, idem eſt Croci metallici fatum in infuſione, hic enim in venam

venam inſtillatus, ut crudus eſt, funeſtus eſt atque internecinus, quem tamen ventriculus & retinet aliquando & cum commodo revomit. Sunt etiam leviſſima quædam, quæque non adeo reſpuit ventriculus, in ſanguine deleteria; exemplo eſt Nicotianæ oleum, cujus ſi tantillum trajectâ filo venâ ſanguini accedit, circumferente ejus auram per univerſum corpus & ad principia nervorum motu, truculentis convulſionibus perit animal; uti crebris experimentis coram Magno Duce Etruriæ teſtatum fecerunt non inficeti Philoſophi; de Vitrioli quoque ſpiritu ajunt, eum venis receptum extinguere geluque perfundere ſanguinem. Igitur ne hoc quidem quod vel ex apparatu aut præpoſterâ applicatione in venenum tranſit, in ſuâ naturâ noſtroque in foro ſic cenſendum eſt. Quis enim ſanus Mercurii ingenium ex Præcipitato Sublimatove æſtimet, artificemque manum cum naturâ componat; certe nec alimenta ſic effugiant veneni notam, quando improba acceſſit aut Medici aut Sagæ mulieris manus. Boleti verò, Deorum cibus, Claudii elogio, toties ante cœnati fatales tandem ſuo etiam laudatori fuerunt, non quòd fungus aliquis ſtrangulans pro Boleto ſubjectus fuerit, ut perperam aliqui monent, ſed quòd Pharmaca Agrippinæ manus ſalutares illos veneno infecerit. Manifeſtè Ptolomæus Hephæſtio, comediſſe, inquit, βολετῶν μύκηθας πεφαρμακευμένους. Ut non medicamentorum vel Purgantium tantum ſed & alimentorum ſalutare beneficium perfidus aut imprudens Artifex funeſtare poſſit. Et cum ne hoc quidem venenum determinet, multò minus à doſi hoc exſpectandum erit: accidens hoc eſt, quod naturam rei mutare nequit, ſed cum pur-

gantia injusta tantum dosi sint purgantia, & hac sola lege apud Medicos recipiantur, ex illorum certè, non Circulatoris aut Pharmaci, ceu furentium, manibus æstimanda venient. Quod purgat, satis est ut exiguum sit, ut erodat diraque moveat symptomata, plusculo opus est, ut enecet, importunâ tandem & infida manu, ut hic repetendum sit venena demum ea esse, quæ dosim non patiuntur, sed in exiguo, idque boni specie jugulant. Hoc profecto est, quod Aristoteles in Problematis Art. 48. Sect. 1. subtiliter distinxit. Φάρμακα, inquit, ἐὰν δοθῇ πλείω, διαφθείρει, ὅσα δὲ κἂν σμικρὰ δοθῇ, διαφθαρτικά, ταῦτα οὐ φάρμακα λέγεται εἶναι, ἀλλὰ θανατήφορα. *Purgantium quod debito plus propinatur, perdit; quæ verò vel in minimo necant, ea non medicamenta sed venena dicenda sunt.* Alimenta autem & his cancellis circumscribi necesse est, ne in venena degenerent. Fructus enim horarii, ut loquuntur, modò alimentares nunc medicati, tandem nimio usu exeunt lethales; à mitissimis enim succis, Cassiâ, Mannâ, Tamarindis, nasci hypercatharsin posse non temere aliqui perhibent, ad simplicem confectionem διὰ φοινικῶν extincto Equite Romano. Vehementissima contrà metallica etiam justâ dosi sæpe infra exspectationem modestè agunt, & ab Antimonio præparato, ut ut Purgante, vomitus aliquando, sæpe alvus tantùm, subinde & sudores sequuntur. Cogitent autem, qui hæc adeo infamant metallica aut sæviora ista, an effugere Pharmaci notam Hippocrates, an Galenus cæterique Græci, an tot hodie Chemicorum filii possint. Scio ab ipsis hic Chemicis orbem versum veteribusque pariter & sociis indictum esse bellum, scio Helmontium hausto passim animo generosam hanc supellectilem proscripsisse, quò ipse dubium

dubium an inſanior an vero ſordidior, nundinas ſolus exerceret; ſed hic ipſe eſt Helmontius, quem interius Panacææ delubrum aut ſpe lactavit aut ſpecie, quemque ſaciarii ſaltem odor peſtilenti quodam ſidere afflavit. Atqui opponit ſe Chemicis, tibi, Helmonti, communis experientia, quotidianæque oſtendunt obſervationes inſignia eſſe Purgantium commoda, non nocentium adeo, ſed infeſtam alvo ſanguinique ſaburram dejicientium, inteſtinum corporis venenum. Sed neque diffitendum eſt, uti malaciam tumor & æſtus antecedit diſſidiumque pax ſequitur, convellenda eſſe membra naturæque vim inferendam, neque hoc, ut enecetur, ſed ut ejecto tandem hoſtili veneno triumphet pacatéque agat. Quod ut vidit Fernelius, veneni aliquando damnata Purgantia ſuo calculo abſolvit, timidéque media inter medicamina & venena eſſe voluit. Jam igitur ſciat, nulla adeo medicaminum nomen mereri, quàm Purgantia, quippe quæ venena ſæpe peſtilentemque, è corpore eliminent materiam. Tot ægris Elaterium, tot Elleborum, infamata vulgò venena, Hippocrates propinavit ſine ullâ veneni ſuſpicione, tantum de æris ſibi Squamâ Paulus, de Euphorbio Aëtius promiſerunt, ut nihil ſuprà; ſed neque hodie hic conſiſtunt, verùm ad metalla properant metallicoſque ſuccos. Antimonium, olim non niſi ad fucum mulierumque oculos laudatum, nunc ad gulæ præparatur alvique purgationes. Quod ne credas extenuare corpus, nihil ad impinguandum beſtias utilius habent Veterinarii, quàm Antimonium. In Germaniâ ruſtici Porcis ſuis Antimonii drachmam in polentâ ingerunt, magnâ

ad pinguedinem compendiariâ. Videtur autem, neſcio quid impuri, lutoſiſſimæ beſtiæ fibris inhærere, & in ſcabram degenerare impetiginem χοιράδα-que, quo per alvum dejecto certa incrementa ſumunt ſolidanturque carnes; hoc ſane Antimonio Equum vetulum Elephantiaſi laborantem, multis fruſtra tentatis experimentis, mulo-medicus reſtituit floremque reddidit juventæ: Tantum abeſt, ut fata hinc maturari tabificamque valetudinem credam. Sed hic intonat Symphorianus Campegius, *vitamque*, dicit, *quam natura ad annos uſque octoginta promiſerat, extinguunt Pharmaca illa venenata, Scammonium, Colocynthis, Turbith, Elleborus*, &c. Quid vero, Campegi, tam ad feram ætatem, tam ad bonam mentem admovit Philoſophos, quàm Veratrum iſtud adeo ab Hippocrate laudatum medicamen. Chryſippus, ut ad inventionem ſufficeret, ter Elleboro animam deterſit, eſtque hujus illud apud Lucianum in Vitarum auctione Oraculum. Οὐ θέμις γίνεσθαι σοφὸν, ἂν μὴ τρὶς ἐφεξῆς τοῦ ἐλλεβόρου πίῃς. *Non eſt fas*, inquit, *te*, Campegi, *fieri ſapientem, antequam ter ex ordine Elleborum biberis.* Quo præſcripto non Philoſophos tantùm ſed & vulgum vixiſſe frequentes illæ Anticyræ Elleborique jugera oſtenderint. Quid autem hodie etiam ab Elleboro iſto exſpectari poſſit, non vanis decernerem experimentis, niſi pleni eſſent omnes libri, plena omnis vetuſtas. Hoc tantum addo, novo experimento nuper comprobatum Extracti Elleborini drachmâ dimidiâ, ter in diem propinatâ furioſas nonnullas mulieres convaluiſſe & ceu alias Prætidas cum Melampo revixiſſe: ut purgatis tandem mentibus Galenici ſapiant degeneres, damnatumque

tumque revocent & Elleborum & alia, Campegius verò ille ter purgato ex ordine cerebro Colocynthidem repetat innoxiumque Scammonium.

Cap. XXIV.

Malignitas tamen certa ſubeſt Purgantibus. Hæc Terreſtris crudioriſque partis ſeparatione corrigitur. Separatio per Vini ſpiritum optima; nam Reſinatam partem bene emancipat. Infuſio ubique ἐλλέβορος μαλθακὸς apud Hippocratem. Purgantium vera citantur correctoria.

At licet à veneni notâ abſolverimus Purgantia, negare tamen malignitatem quandam vix ſuſtinemus, ſed quæ & præparationibus edomari atque delinimentis poſſit: habent quid in ſe omnia Cathartica cruda, quo φαρμακείας faciunt ἰδρώδεις, ſymptomatumque trahunt molem, itaque cum & venenum, ſi quod ſit, expugnari poſſe oſtendimus, malignitatem fortè vincet minus ſollicita manus, neque enim aliud malignitatem conſtituere exiſtimem, quàm nigram illam, terream, ſeparatamque à reſinis fæcem: conſiderandum igitur eſt non omnes Purgantium partes purgare, ut ut pleraſque, ſed conjungi etiam alias contrariaſque minutias reſinatæ partis actioni naturæ diverſitate obluctantes; cum enim illæ partes ſint volatiles, hæ crudæ minuſque ſublimatæ, gravitate ſuâ volatilem reſinam coercent vimque ita purgativam aut retardant aut gravantur: vel emancipatis jam Purgantium particulis, uti emancipari certum eſt, reliquum quod eſt naturâ

râ γιῶδες & incoctum, salisque gravioris armatum spiculis, fibris insultat membranarum vellicatque acrius, sed vano & importuno conatu à quo metuendum non erat, si solius irritationis beneficium esse purgationem demonstrasset Erastus. Quare ut mecum agnoscas cadaverosas aliquas fixasque in purgantibus partes, excute Chemicâ manu divideque elementa, certè nihil in his ventri pestilentius comperies, quàm Colocynthidis reliquias, nihil infestius, quàm Scammonii fæcem, quæ ut probè separetur, exterenda pistillo resina est, cumque aquâ optima & lactea pars evocanda, subsidentibus fundo nigris incoctisque grumulis, quos si cum albâ volatilique misturâ denuo contusos propinaveris, immites excitabis dolores, molestissimamque tandem Purgationem, lacteo isto cremore etiam pueris ventrem sine dolore ducente. In Gialappâ quoque Volatile purgativum Spiritu vini rectificato prolicitur inculpatum, rejectâ fundo terrâ crudâ & inutili ventrem non leviter offendente; ut non immeritò concludam omnem protinus malignitatem illâ crudæ partis separatione tolli, & siquid molestum Purgationi accidat, hujus maximè partis vitio esse. Bonum igitur factum, ne validiora medicamina sive in solido seu tenuissimo pulvere propinent Medici, cum ne hic quidem terreum istud & crudum emancipatum sit; quid aliud Juvenis illius ventrem apud Galenum vexabat, quâm Scammonii ramentum in Coli infixum cellulis, non tam purgativâ parte, quæ dudum & in humido & in calore illo exhalaverat, quàm cruditate fixâ infestum. Hoc Arabes jussit Colocynthidem tam severo tundere

re examine, & quicquid illi ſic ſatis confiſi ſint, melior tamen pars & Trochiſcatæ metuit vires in Alhandal, metuendumque ego opinor, dum graviſſimas quaſque purgationes Colocynthis comitetur. Rulandi itaque optima eſt ratio, Colocynthidis Reſinam Tincturâ evocantis cum Vini ſpiritu; ſic enim interpretantur ſpiritum ejus aureum. Hic omnis exulat terra cruditaſque vini calore expugnatur. Deinde Ellebori adeo vehementis furias nihil tam domat, quàm modeſta ſive cum ſpiritu vini ſeu aceto ſcyllino extractio. Sed in pulvere infeſtiſſimus eſt nimiâque cruditate πνὶγξ, ſymptoma, non Elleboro tantùm ſed & Fungis & Braſſavoli Hermodactylis familiare. Ut rectè Hofmannus Elleborum in tenuiore polline periculoſiorem quàm decocto exiſtimet. Eſtque hoc quod in ejus præparatione Paulus adnotavit lib. VII. cap. X. *Diſſectis veratri radicibus*, inquit, *in ſeſami magnitudinem, nam in tenuiſſimum redactæ pulverem virium efficaciâ ſtrangulationes pariunt, in Ptiſanâ incoctam drachmam potui dabis.* Ubi quis dubitet, an ſolida propinari ramenta, an excoctum modo ſuccum jubeat; ſed decoctionem hic exhibendam eſſè damnato pulvere, & ipsâ rei naturâ hodiernâque magiſtrorum arte perſuaſum eſt. Manifeſtum utique eſt grandiores æquè particulas tam parum ſe à malignitate vindicare poſſe, quàm minutiores, ſequitur enim ubique comes terra incoctaque fæx, πνίξεως indubitata cauſa. At ſciendum eſt in liquorem ſolida potius ramenta quàm pulverem infundi, ne clandeſtino lapſu in decocti poros receptæ minutiæ, coli ſaccationem fallant adeoque ceu cruda ventri incommodent. Ergo de

de ipſis coctionibus ſolliciti Medici, petiis lineis ſacculiſque includi Purgantium validiorum ſpecies jubent, ne ſolidi quid in liquorem abeat: hoc in Agarico ſtrictè, in Hermodactylis aliiſque feriò obſervant, Colocynthidem quoque petiâ indui rarâ in confectione Hamech Septalius ex Deſſenii vult ſententiâ, certe hic morem gerunt Pharmacopœi. Ebullitionem autem ideo ego infuſione periculoſiorem in Purgantium confectione exiſtimo, quod motu illo inteſtino particularumque tumultu plus deradatur ſolidæ ſubſtantiæ inque aquarum abſorbeatur poros; id quod in Foliorum Sennæ decoctione familiariter evenit: adeo ut multum præparationi medicamenta debeant, Elleborus autem vel maximè; quo cum frequenter & omni loco uſi fuerint Græci, quid ab iis repetere, præſertimque Hippocrate, furentis medicamenti confectionem prohibet, curæ enim fuiſſe neceſſe eſt, quod domi, foris, ubique, & ad omnia uſurpabat. Hippocrates paſſim, & in libro de fracturis ἐλλεϐόρȣ meminit μαλθακȣ̃. Ubi non eſt cur Galenus ſubſiſtat: mollis enim Elleborus ex præparatione æſtimandus cui ſc. mollitiem frequens humor, & doſis conciliavit modeſtia: τὸ enim μαλθακὸν per ſæpe humidum Hippocrati. Hinc μαλθακὸν ὄινον plus ſemel pro ὑδαρῆ, ſæpius conjunctim: πόματα μαλθακότερα καὶ ὑδαρέστερα lib. 3. de diætâ. Et quando lib. 2. de morbis. Pleuriticis ὄινον ſed μαλθακότερον concedit, quis non pro aquoſo, vili, ſive quod ὀλιγόφορον vocant, acceperit. Jam quiſquis deſiderat, quæ illa Ellebori fuerit Præparatio, ad illam de Elleboro Hippocratis Epiſtolam & ad librum de Diæta in morbis acutis, Gale-

Galenique commentarium remitto. Ubi cum Oxymeli laudetur, hoc tantum dicam, nihil hodieque conducibilius eſſe ad Ellebori coërcendum furias quàm Acetum ſcyllinum, ut in acido malignitatis remedium eſſe appareat. μαλθακὸν itaque à præparatione, naturâ enim durus Elleborus atque immitis. Theophraſtus lib. x. cap. xi. Hiſt. Pl. ἐλλέβοροι, inquit, καὶ ὁ Παρνάσιος καὶ ὁ Αἰτώλιος σκληροί τε καὶ ἄγαν περισκελεῖς. Prout autem præparatio illa conficitur, ſive Aquâ ſeu Aceto ſeu Vini Spiritu, certum eſt, Terreas ubique fixioreſque partes ſeparari; mihi autem Spiritus Vini miſtura vel in ipſo Elleboro cæteris antecellat ſolutionibus, nam, præterquam quòd purgativum Salem ſubtiliter evocat, etiam corrigit maturatque, ſi quid inhæret crudi. Antimonium ſane crudum Vino extractum Malvatico probeque filtratum, ad Croci metallici infuſionem viribus accedit. Colocynthidis jam Tinctura innoxia eſt, Gialappæ ſolutione nihil acceptius nihil mollius: imo apud Libavium ipſum Antimonii oleum poſt acetum Spiritu Vini refrænatur. Ne itaque Chemicorum conatibus infèſtior, illas cum Spiritu Vini præparationes ceu fervidiores exſibilet ſive Heurnius ſeu Hochſtetterus. Sed aliud quoque notandum venit non minus quàm iſthoc κακόηθες, moleſtum. Omnem Purgationem & humorum copioſam eruptionem flatus comitatur & Borborygmus, ventrem ad frigidæ auræ ſenſum malè afficiens: hic igitur correctoria laudant ſua, Aromatum aut ſubſtantiam vel extracta igne olea, utque non tam malignitatis hoc culpâ fieri conſtet, quàm humorum tumultuantium vitio, mitiſſimis quibuſque purgantibus & Caſſiæ

&

& Mannæ, quæ naturâ ſunt flatuoſa & ὑπηνέμια, accedere hæc aromata ſolent, ipſeque Hippocrates tum pleriſque medicamentis, tum Elleboro maxime ſuo τὰ εὐώδη (ſic aromatica vocat) Daucum, Cuminum, Aniſumque ſociavit, & quò flatuum hoc eſſe negotium ſcias, ad unum omnia carminativa. Thapſiæ vero etiam Silphii ſuccum lib. de diæta admiſcuit. Nunc autem alterum incommodum præparationem in ſe convertit aut potius medicaminum condituram; plurima erant acria, & faſtidioſa, niſi molliori ſub tegmine, palato moroſæque gulæ ingrata: hæc itaque dulcibus & pinguibus involvit artificum diligentia, ne & palato officium denegaretur. Hinc illa in medicinâ Electuaria multo delibuta ſaccharo, Syrupi purgantes & longè alia pulpamenta. Euphorbium apud nos ſolo melle demulcebat homo plebejus. Pro pinguibus Lac, Mucilagines & Gummi ſua offerunt Magiſtri Oleumque Amygdalinum. Elaterium Lacte, Eſula Pſyllii mucagine, Tragacanthino Gummi Colocynthis Oleoque demitigatur Amygdalino. Contrà ignava nonnulla ſunt occultumque foventia Salem: in his excitari virtus, non deliniri debuit; multa hic terra oleumque craſſius Salem retinet purgativum fugamque tardat: quare ne lentâ maceratione hiris faſtidium creent, acribus condiuntur præparanturque Aromatis, interdum quoque ſalibus. Agaricus inſipidus ferè propitiam correctionem à Zingibere patitur & in Trochiſcos formatur. De Turbith etiam Fungerus, quòd impetum ejus augeat Zingiber: ſed temperari potius debuit, cum acre per ſe ſit Turbith, Maſtiche ergo corrigi malim. Aſt Aloë, quæ

copioſam

PURGANTIA.

- Mollia, ſed naturâ Flatuoſa propter ζέσιν,
  - Caſſia,
  - Manna,
  - Tamarindi.
- Acria, adeoque ingrata & mordacia,
  - Scammonium,
  - Colocynthis,
  - Euphorbium,
  - Elaterium,
  - Eſula,
  - Elleborus.
- Inſipida fere, ignava & tardigrada.
  - Agaricus,
  - Hermodactylus,
  - Epithymum,
  - Senna,
  - Aloë.

corriguntur

- Carminantibus
  - Fœniculo, Dauco, Aniſo.
  - Thymo, Coriandro.
  - Cumino, Cardamomo.
- Mollibus Lenientibuſque
  - Maſtiche, Violarum Succo.
  - Oleo Amygdalino, Tragacanthino Gummi.
  - Croco, Melle.
  - Lacte, Bdellio,
  - Pſyllii Mucagine.
  - Maſtiche.
- Acribus
  - Zingibere.
  - Succo Scyllino, Raphano, Pipere.
  - Sale gemmæ.
  - Caryophillis, Zingibere.
  - Nuce moſchatâ.

Separantibus τὸ γεῶδες, Reſinamque puram Extrahentibus — Vini Spiritu

Figuntur autem officioſèque enervantur ſui reſpectu

- per Effervescentiam cum acido. Vid. Cap. XVII.
- per Fermentationem putrefactionemque cum Sale lixivo. Vid. Cap. XVIII.

Rhabarbarum ob faſtidioſum Volatile, Aniſo, Cinnamomo, Schœnantho corrigitur.

copiosam trahit terram densiusque oleum, sanâ ratione acribus corrigitur, est enim tardigrada lentæque facultatis : hic Caryophyllos, Nucem moschatam & Piper extollunt. Sed cum in his quoque, ut sunt cruda, multum lateat terræ, extracti olei guttulas ad correctionem ante alia probaverim. Senna verò ob inertiam Zingiberis etiam aliorumque acrium mantissam commeruit. Verùm hic in Tabellâ proponam sua singulis debitaque correctoria, olei ubique destillati quàm pulveris solidi majorem esse habendam rationem persuasus. Sed quæ supra naturam vehementia sunt, ea quidem aut fixatio per acida aut maceratio lixiva proportione quâdam naturæ nostræ accommodavit, cujus respectu cum correcta dici possint medicamina, quæ sui ipsius ratione fixata sunt & ex parte enervata, justæ correctioni etiam hanc adjungam.

CAP. XXV.

Sed, antequam in gulam transeant Purgantia, falsâ & inveterata de Electione opinio diluenda est patulumque vulnus obligandum. Itaque seriò multisque experimentis ostenditur, nullam esse in medicamentis Electionem, sed, quod agunt, necessariò, & ex Substantiæ modo Elementorumque crasi agere; tum quòd eadem uno agere modo, singulosque ducere humores videantur, ab objecti humorumque dependere mobilitate. Hippocratis locus illustratus & ab interpretum, maximè Septalii, injuriâ vindicatus. Fernelii de Cacochymiâ lapsus. Graafii sententia refecta.

EXpugnatâ nunc quoque malignitate, explosoque veneno propinare possemus Purgantia, ægrorumque committere venis, nisi & dosim hic morosè & alia volveret Medicorum superstitio; Purgantia enim cum delectu quodam suis singula humoribus destinarunt, quasi interesset, quomodo vexaretur ad expulsionem Natura. Sed hic & rationis fuerunt & Galeni sui obliti, qui acutè alibi, καὶ σχεδὸν, inquit, μόνον τὴν ἀφορμὴν καὶ τὴν ἀρχὴν τῇ φύσει ἐνδίδωσι τὰ φάρμακα, τὰ δὲ λοιπὰ ἡ φύσις δι' ἑαυτῆς ἐκτελεῖ *Ferè occasionem tantùm & principium agendi Naturæ imprimunt Purgantia, reliqua autem ipsa per se exsequitur Natura.* Quare non fuit, ut προαίρεσιν hic, aut Electivum quendam genium, consilium, nescio quod, ineptæ rei, & qui Naturæ reverentur arcana stulti, occultam tribuerent reconditamque proprietatem. Verùm ut constet Electionem hanc speciem duntaxat esse sine corpore, & à veteribus malè exceptam, licet hoc satis futilitatem arguat, ipsâ malumus rei naturâ experimentisque & Fallopio & obstinatis quibusque Electionis defensoribus errorem ostendere. Neotericorum quoque plurimos in Electivam purgationem discedere non diffiteor, vidisse tamen longè alia Erastum, in suo de Purgant. Medic. Facultatibus libro verissimum est. Sed quod is tractionis suæ imaginariæ causâ præposterè, id nos sine ullâ mentis anticipatione in nudam defixi veritatem experimentis conficiemus. Ab Hippocrate primùm, insigne repetunt figmento testimonium, qui an isthic fuerit, quò Aristarchi quique eum trahunt, dubium est. Assimilat equidem Purgantium actionem plantarum vegetationi, certum modò

&

& destinatum succum trahentium : sed nec ita, quin alieni succi accessum admittat, & de Purgantibus quidem manifestè dicat. Πρῶτον μὲν ἄγει, ὃ ἂν αὐτέῳ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων, ἔπειτα τε καὶ τ' ἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει. Quid autem τὸ κατὰ φύσιν, nimirum, quod ducenti Pharmaco sponte suâ obsequitur, naturâ leve, mobile καὶ παρεκτικόν : & quò hoc gradu unumquodque levius, ita mirum non est à centro facilius, certè ante alia, pondere & quiete partium purgantis motui refragantia, in alvum dissipari, ferentibus huc Mechanicæ legibus. Ut vero scias, non Electivum hic, sed necessarium, sed naturalem consideraſſe motum, ipse post Hippocrates à jugulatis exemplum capiens, ostendit, primùm id, quod calidissimum & rubicundissimum, id est, florem sanguinis cæteris partibus impetuosiorem, secundum naturam (levia enim citiùs à centro abeunt) vulnere eructari, mox etiam illud, quod minus habet spiritus volatici, adeoque minus mobilitatis, tandem verò, quod pituitosius est, pondere ignavoque partium visco tardatum. Imo, in Venæ sectionibus etiam Chirurgorum vulgus novit, serum prius volatile erumpere, mox crassius ineptiusque; hoc autem, non Electione quâdam, sed motus inevitabili lege. Itaque hic Erasistratus, quòd purgationem Venæ sectioni scripserat ὁμότιμον Hippocratem sequutus, Galeni in se convertit impetum. At jam ingruit fulmen tuum: *Si quis*, inquit, Præceptor libro de Naturâ humanâ, *Medicamentum biberit, quod bilem purget flavam, primùm quidem bilem ducit, mox pituitam & alia; sed si quis propinaverit pituitam ducens, prima sequetur pitui-*

ta, mox bilis flava deinde & alia. Quin accipimus omen Adverſarie, & ex ipſo tuo Hippocrate aliud eruimus. Equidem concedo, nec invitus, ad Cholagogi hauſtum detractam fuiſſe primùm bilem, ſequente tandem pituitâ; ad Phlegmagogum autem pituitam ſtatim prodiiſſe, ſerò demum & poſt pituitam exeunte bile: ſed tute mihi vel rogatus dabis, methodi ſuæ ſervantiſſimuum Hippocratem Cholagogum, id eſt, mitius medicamen, non propinaſſe, niſi illis, in quibus ex ſignis & anteactâ vitâ bilis, id eſt, volatici & mobiliſſimi humoris in corpore portenderet abundantiam: Phlegmagogum autem, id eſt, vehementius, iis tantùm, queis lentiſſima in hypochondrio fæx, affluenſque in venis pituita turbulentam indicaret fortioremque medicationem; bilem ibi ægro prius refundente, ut pote copioſam in venis, multam tandem bilem ſequente pituitâ, ſed paucâ, biliſque inſtar tenui, tum primæ potiſſimùm regionis hoſpitâ; hic contrà pituitâ præeunte, quòd & copioſiſſima eſſet in venis primaſque inſideret vias, parcâ rurſum bile & in ultimas forte venas rejectâ, non niſi ſub purgationis finem decedente: adeo ut & à quantitatis videatur qualitatiſque modo purgationum profecta varietas. Quod ut melius appareat, inuſtamque hic Hippocrati à Septalio Electionis notam deleamus, ab ovo repetere ſingula humorum augmenta, quantitatiſque oſtendere & qualitatis in ſcenicâ Electione potentiam aggrediar: ſed delibanda hic ſunt principia quædam, & quæ alii pro Hypotheſibus reciperent, ego in axiomata aſſumam notaſque veritates. Primùm autem & hoc à Platonis Timæo mutuum

tuum petam, *quòd, quæ nobis circumfuſa ſunt, reſolvant nos aſſiduò, ſingulaſque noſtri portiones ad ſpecies ſuas foràs emittant.* Strictius hic naturam interpretantur Medici, voluntque per utrumque excretionis genus, ſenſile & inſenſile, corporis haſce portiones effundi. Senſili certè excretione altera ferè ciborum pars potuſque dimittitur, cum per alvum tum veſicam &, ſi placet, ſalivales vias. Exſpiratione rurſum tranſpirationeque plurimum abit ejus, quod tam exilibus venis in maſſam propellitur lactis. Quid ergo eſt, quod partibus relinquitur alendis? Exiguum ſane & quod unciæ vix æquet dimidium; nam excrementi utriuſque pondere ad Staticam examinato, infra drachmas erit aliquot diurnium corporis accrementum. In tantillo tamen cremoris omnium deliteſcunt humorum ſemina, partiumque natant ideæ, ſalis alibi inopiam compenſante oleo inque pinguedinem cogente, alibi olei fluorem ſolidante ſale in carnes aut oſſa. Jam quæ à corpore diſſolvuntur, univerſæ carnis ſunt effluvia, omniumque æqualiter humorum detrimenta, ſalino alibi prægravante principio, alibi oleoſo. Bilis per efferveſcentiæ caloriſque perpetuitatem neceſſariò abſumitur, ab alvo ſe ſubtrahente parte ejus craſſiore, tenuiore verò ſale, æſtate, per corporis anguſtias, hyeme anni, per Renum diſcedente latebras. Serum calorem ubique ſequitur vaporantem, poriſque exſudans habitus lambit ſuperficiem, ut proprii corporis ſpoliis, ceu vernaculo quodam Laconico, cingi animalia videantur; minimum ejus naturali alvo ſe miſcet, in urinas verò permultum abit. Pituita per ſalivales ſe exponens glandulas continuo

flumine gulam inteſtinaque perluit, &, dum pars ejus magna fermenti ſubit vices, pars laxas alioquin ventris reliquias glutinat; nonnihil ejus denuo circulatur, perque Renes elapſam urinam nebulâ obſcurat; ſenibus autem mucumque arido vexantibus fumo, plurimum ejus ore rejicitur. Melancholia ſive Acidum, fermenti inteſtinalis non exigua portio, æſtu illo ſe conſumit, inque tenuem reſolvit halitum, ſed quod ejus eſt craſſius, ſcybala quoque compingit, perque Lacteas abreptum in ſudoribus & urinâ acore ſe ſuo manifeſtat. Hinc ergo non ineptè concludimus, ſi in omnibus ſunt excretionibus omnium pariter humorum detrimenta, omnium perinde jacturam reparari novumque ſingulis ſuffici alimentum debere, idque certâ ſub proportione; ita ut τὸ alibile in omnes ſimul humores redundet, cumque uni ſalem, alteri ſpiritum, ſuo etiam reddat oleum principio. Quòd ſi alimentum proportione illâ ad omnes & ſingulos humores deſtituatur, augeri unum ante alios neceſſe eſt, explente unius defectum alterius incremento, ſed tali, ut vel eadem ſit cum unius humoris augmento ſanguinis in totum menſura, vel major. Pone etenim, ſuam cuique, Bili, Sero, Pituitæ, Melancholiæ, portionem reſolutione abiiſſe, & ad æqualem detritos numeros unitatem, cum ſinguli antè binarii eſſent, tum ad reſarciendam illam diminutionem incremento opus eſſe.

Nunc

B	P
3	3
S	M
1	1

Nunc si id, quod S & M debebat in refractione alimenti accedere, ejus naturæ sit, ut cum B & P conjungatur, sequitur duplicatò quidem auctam illorum proportionem cæteris prægravare, sed toti rursum æqualem esse, nimirum, ad octo rediisse. At si importunior diæta continuetur, immodicis auctibus crescentes numeri, massam in universum majorem perfectamque omnibus modis Cacochymiam, unicum purgationis indicans, efficient. Ut hic declinare solœcismum Fernelius nequeat, quando cap. 1. lib. 3. meth. medendi, *corporis*, inquit, *excrementa & humores supervacui, cum immoderatius exsuperant* (nota Pleonasmum) *non multitudine, sed qualitate peccant*. Profecto *multitudine* exsuperant, quæ *immoderatè*, tam suæ proportionis respectu, quàm universi sanguinis. Illam autem Cacochymiam sive biliosam seu pituitosam, quid mirum est propter numerorum frequentiam proportionisque augmentum, secundum singulas unitates in habitum venasque aut intestinorum dividi fibras, ad medicamentum primò prodeunte, quod primis in viis & alibi copiosius est, remotis contrà aut vix conspicuis unitatibus, melancholiâ & sero, non nisi ad longam irritationem obsequentibus; adeo ut apud Hippocratem à Cholagogo bilem ultimò consecuta sit pitui-

pituita, quod ejus in biliofo corpore vix fuiſſet numerus, & è diverſo à Phlegmagogo bilis poſt pituitam demum deceſſerit, quod, dominante cum in venis tum hiris hujuſce copiâ, bilis ubique parcior eſſet affluxus; per experimenta enim conſtat, ad Phlegmagogi motum æque bilem prodituram eſſe ac pituitam modò ejus ſit aliqua in corpore redundantia. Atqui objectas, quòd, ſicut à Phlegmagogo ſe purgari bilis patitur, non perinde à Cholagogo piuita detrahatur, igitur diſtinctionem aliquam ſubeſſe reconditam. Bellè medius fidius. Diſtinctionis neceſſitatem ultro agnoſcimus, ſed non in Electivam aut Specificam proprietatem, quam nec ipſe Præceptor agnovit, ſed qualitatem naturalem, modum ſubſtantiæ. Quippe cum Purgationem motum eſſe conſtet materiæ nocentis, (unde κινεῖν utrique, & Hippocrati & Ariſtoteli, pro καθαίρειν) quis non pro qualitatis modo mobilitatiſque gradu aliud alio citius detractum iri credat; nam quod naturâ mobile eſt, principio tantùm opus habet aut leviore impulſu; quod tardum quodque iners, movente etiam valido, non quod imprimat modò ſed & continuet motum: in quantum enim corpori motus pars inhæret, in tantum minoris eget ad ulteriorem motum moliminis. Bilis itaque, leviſſimus omnium mobiliſſimuſque humor, vel à minimo movente excitari potuit. Pituita contrà viſcida & naturâ immobilis non movenda tantùm ſed & ad motum particularum diviſione, adeoque à potentiore fermento, invitanda fuit; equidem Eraſti eſt communiſque Experientiæ teſtimonium, *pituitam ut ut viſcidam, ab alvo medicamentis purgatam cedere liquidiſſimam.*

mam. Notandum autem levia & ſuos habere invicem gradus pro objecti naturâ; nam, cum humores quoque à ſe ipſi ſubſtantiæ modo, tenuitate craſſitieque differant, non eſt ambigendum, quin, quæ tenuiſſima ſunt, vel leviſſimis quibuſque pelli poſſint: Bilem enim valde volaticam, ſola fere Caſſia Tamarindique provocant, at craſſiorem paulò & à pituitâ denſatam, retusâ etiam nonnihil acrimoniâ, Scammonium detrahit aut Senna. Pituita verò & iſta refugiens, acerrimis quibuſque ad attenuationem liquationemque habuit opus: hinc Euphorbium, Thapſia, Colocynthis & vehementiſſima adeo Pharmaca. Melancholia demum, τὸ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων χυμῶν γλισχρότατον, ſupremis vexanda fuit motibus & Elleboro & Metallicis: ſcilicet, invicta debuit eſſe virtus, quæ & acidum, Melancholiæ maximam partem, expugnaret, & ſociæ pituitæ incideret viſcum. Acida autem, quà acida, movenda non ſunt, cum & venas erodant purgativumque enervent Salem. Serum quidem in ventris abreptum latebras ideo graviora patitur medicamina, quòd omni fere careat acrimoniâ lymphaticoque glutine retineatur, ſeu, quòd extra venarum ambitum, ceu ordinariam activitatis ſphæram, elapſum leviora deſpiciat. Igitur, cum ad modum pertineat ſubſtantiæ tertiaſque qualitates, τὸ εὐκίνητον καὶ δυσκίνητον εἶναι, non eſt cur Electionem vocemus aut occultam proprietatem, ſi ad vehementia pituita concitetur; ad levia verò bilis tantùm, nullâ hic pituitâ ob viſcoſitatem ſequente, ibi bile propter mobilitatem gravioris medicamenti motibus facilè obediente; quod enim majus movere poteſt, idem poteſt & minus.

 nus.

nus. Sed quid dubito Galenum hic citare consentientem; is lib. XIV. meth. Therapeuticæ. ἐπεὶ μὲν, inquit, τῆς ὠχρᾶς χολῆς αἱ κενώσεις ἑτοιμότεραι; τὸ δὲ φλέγμα, καὶ μάλιστα ὅσον αὐτοῦ παχύτερόν τε καὶ γλισχρὸν ἐστὶν, δυσκόλως ἐκκενοῦται. *Faciliores sunt flavæ bilis purgationes, sed pituita, quodque ejus est crassius viscidiusque, difficilius evacuatur.* Adeo ut hic mendax fuerit Galeni memoria, qui missâ naturâ Erasistrato se deinceps toto libro & pro Electione Scenicâ opposuerit. Hoc ergo statuamus deducamusque Axioma. Humores corporis nostri, prout vel tenues sunt vel crassi, id est, ad motum magis minusve proclives, Purgantia indicant mitia aut vehementia, id est, plus minus moventia. Indubitatum verò etiam est & ex naturâ motus certum, vehementia quæque præter crassiores etiam tenues posse pellere humores, cum contrà mitia ad crassiores emergere impotentiâ suâ nequeant. Nunc autem, cum sæpe contingat, pituitam esse bile intermistam copiosâ, ejusque proinde acumine fluidam & in serum liquatam; quid mirum, eodem fere substantiæ modo mobilitatisque gradu affectos succos, bilem, pituitam, uno eodemque medicamine, Cassiâ, Mannâ, Rhabarbaroque feliciter duci, crassiore autem bile pituitâque à mitioribus hisce intactâ. Sed demonstremus, quomodo omnis generis humores, modò ejusdem qualitatis consortes, unum idemque Medicamen pellere ab alvo possit. Supponamus itaque, Cacochymiam regnare in venis; neque enim Arithmeticam aut justam proportionem vel vitæ error aut cœli patiatur inconstantia; hanc verò in venis superantem in cæteros fere humores qualitatis suæ similitudi-

nem

nem effundere necesse est. Bilis equidem in venis copiosa & corrupta, sale suo Pituitam in serum liquat oleique fluore diluit, quæ tandem nota in omnes simul humores transit. Pituita contrà viscosa & frequens lentam trahit bilem serumque densat : hinc saliva, seri aliàs fluidissimi soboles, pituitæ sequitur naturam screantesque moratur senes; urina autem crassâ perfunditur nebula sanguinemque totum mucus retardat : unde Hippocrates scire volens, quâ potissimùm purgatione mulier opus habeat, pannum lineum menstruo subjici jubet, ut ex evaporati sanguinis reliquiis, colore croceo glutineve viscoso, censere habeat, utrum Cholagogo expurganda sit alvus an Phlegmagogo, id autem est, leviore an validiore pharmaco. Imo ut agnoscas Cacochymiæ dominantis potentiam, Picrocholi sæpe omnia in bilem, Cardiaci in pituitam, Hydropici quotidie in aquas aliena quantumvis alimenta converti ajunt; non aliter, atque in aceti dolium infusus Vini inculpati Cantharus acescere solet, perpetuato hunc in modum aceto. Prodire ergo poterit uno eodemque medicamento, quod corrupto maximè & copioso in venis humori qualitate tenus, eâque tertiâ, est ἀνάλογον : cumque serum & pituita bilem æmulantur mobili fluore, aut ad pituitæ mucositatem bilis accedit suâ tarditate, Cholagogo aut Phlegmagogo alterutrum educendum erit, id est, non specifico aut Electivo, sed, pro substantiæ modo materiæve objecto, mitiore aut turbulento Medicamine. Bilem sane tenuem & volatilem levia evocant, sed & Serum volatili suffertum bile à Cassiâ Tamarindisque paribus votis detrahitur.

Pitui-

Pituitam verò craſſam & ignavam validiſſima expoſcere cognovimus, quæ cum bili quoque ſimilem impegerit qualitatis formam, denſato ejus oleo acumineque delinito, ad levia & ipſa non concitatur, ſed eodem & conſimili Phlegmagogo; primò prodeunte, quod in venis primâque in regione copioſius eſt : ut hinc viciſſitudo quædam medicamentorum oriatur, mox pituitam cum bile craſſiore, bilem mox tenuem cum ſeroſiore blennâ detrahentium. Manet autem hoc certum & inconcuſſum, quòd, quæ gravia ſunt & immitia, omnis generis ducant humores, quæ levia, mobiles tantum fluidoſque. Quare ſi veteri & longo uſu receptæ diſtinctioni ſervanda fides, expiamus Cholagoga & Phlegmagoga, lenia & dura; & tenuiſſimis quibuſque humoribus Cholagoga, viſcidiſſimis autem Phlegmagoga ſemel æternumque conſecremus. Hippocratem certè lenitiva medicamina & in his olera fructuſque ὡραίους bili tenuique ſero deſtinaſſe; duriſſima verò, inque his Elleborum, viſcoſiſſimis paſſim humoribus, ex ipſius lectione apparet, & vel maximè ex illo libro, ubi tantum ſe vidiſſe pro Electione ſuâ devoti interpretes exiſtimabant : inquit enim de Natura Humana Tm. XVI. εἰ ἐθέλεις τῷ αὐτέῳ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ αὐτὸ φάρμακον τετράκις τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἐμέεται σοὶ τοῦ μὲν χειμῶνος φλεγματωδέστερα, τοῦ δ' ἦρος, ὑγρότερα, τοῦ δὲ θέρεος χολωδέστερα, τοῦ δὲ φθινοπώρου μελάντερα. Igitur affictæ Præceptori Electioni hoc potiſſimum Oraculo obnuntiatur. Num, qui τὸ αὐτὸ φάρμακον omnibus indifferenter humoribus, tenuibus & craſſis, bilioſis pituitoſiſque accommodavit, num Electionis habuiſſe conſcientiam aut ὁμοιότητος τινὸς ἀρρήτου dicendus eſt? Languiſſe itaque interpretes,

tes, unique Galeno potius quàm aut Hippocrati aut Erasistrato adhæsisse indignandum est. Jam ne de levi aliquo sed validissimo Pharmaco, & fortè Elleboro, intelligas, τῦ ἐμέσται significatus facilè induxerit; quod enim tenacissimam Hyeme expellit pituitam, quomodo non volaticam Æstate bilem & Vere serum expellat? Imprimis, si, quæ bilem æstate detraherent levia, hyeme anni pituitam cum copiosam tum viscidam expurgare non possent, quòd fortioris Medicinæ patientior sit hyems quàm æstas. Quamvis autem vehementissima quæque Phlegmagoga omnis generis humores ducere existimem, est tamen, ubi hoc etiam amicitioribus lenitivisque exspectari possit, hoc verò non tam qualitatis respectu quàm loci, cum enim ab omni indifferenter loco humores detrahant validiora, hæc à primis duntaxat proximisque venis repetent materiam. Ergo distinctionis causa Regiones hic irrepserunt sed malè ordinatæ; non enim, quos sanguis fugit Circulatio, justam condere Regionum distinctionem potuerunt. Prima quippe complecti debuit intestinorum, quâ patent, gyros, secunda, venarum spatia, tertia, quod ultimis venarum cancellis, aut, ut clarius dicam, in habitu corporis viscerumque reconditur, sic & Hepatis, Lienisque, glandularumque Mesenterii Scirrhos ultimæ Regioni imputantes, in fraudem Scholasticæ distinctionis. Ad atram equidem bilem vehementioribus continuò non erit opus, siquidem in prima stabulatur Regione intestinique cavo; estque præcipuè fatum succi Hypochondriaci, Melancholiæ, mitioribus sæpius & humidis, quàm acribus duci siccisque medicamentis: Acidum enim, melancholiæ

pars,

pars, ſiccum illum inque momento condenſatum vehementiorum Salem ſubigit, glutineque, nam & pituita nunquam non comes; implicat viſcoſo. Humidæ ergo Caſſiæ Mannæque ſolutiones, diſtentis pituitæ ramentis acidoque diluto, hærentem alioquin fixamque in ventre melancholiam felicius elutriant. Hinc Eraſtus libro de Purg. Medic. Facultatibus, *Manna*, inquit, *aliquando bilem flavam ducit, nonnunquam ſeroſa, interdum etiam nigra detraxiſſe vidi.* Addit, *ego ſane exhibito Rhabarbari pulvere aliquoties vidi nigerrimi humoris, atramenti inſtar, magnam copiam fuiſſe detractam.* Hæc ut in hiris primâque regione latitaſſe credam, multa conficiunt, & cum Melancholia, utpote obſtinatus inexpugnabiliſque humor, longè ſuperet lenitivorum activitatem, diluendo forte extergendoque, adeoque per accidens, è primâ tandem Regione extrudetur, & quod qualitatis temperamentum negaſſe videbatur, loci reſpectus conferet. Purgantia autem, ſi recte examinantur, ſive Lenitiva ſeu Cathartica, certis ſe alligari Regionibus vix patiuntur, nam ipſa ſæpe lenitiva in ultimas uſque exſpatiantur venas, Herpetiſque materiam lenitivis ex habitu corporis evocare Galenus docuit in Methodo Therapeuticâ; tantum abeſt, ut primam non effugiant regionem. Quoties mitiſſimum medicamen, herbulæque in gloriæ ſuccus aut Rhabarbarum, ſeroſos tenuiſſimoſque humores è venis prolicuit, adeoque ſecundâ, ſi placet, aut tertia regione; ut dubitem, an rectè Cholagoga in Hydrope inutilia dixerit Galenus, Rhabarbarumque nuper exploſerit Septalius, à tot tamen inde Medicis ipſoque Rive-

Riverio reductum. Aquas certè detrahit Rhabarbarum, nec quæ in inteſtinis tantùm viciniſque ſtagnant locis, ſed & quas extra venarum ambitum venter abſorbuit; &, quando non ſemper hoc effectum dant lenitiva, jam in inteſtinis à copioſa pituita & ſero delaſſatam fuiſſe Purgantis virtutem exiſtimandum eſt. Sed nec eſt, ut validiſſima quæque ultimam ſemper regionem obſtinatè petere arbitrer; primæ enim Regionis ſaburra, ſæpe non lenitiva tantùm, quæ hic ſolùm deſtinaverant Medici, ſed & mediocria quandoque & validiſſima reſpuit pharmaca. Cardiacam Hypochondriacamque affectionem, primæ quidem regionis hoſpitam, Elleborus demum & Antimoniata expugnant, lenitivorum mediocriumque mollitiem eludente pituitæ viſco. Ita ut viciſſim modò lenitiva in tertiam regionem, modò validiſſima ultra primam non abeant. Verùm, quid longius moror, Practicorumque fugio experimenta: ſuum utique Elleborum Hippocrates, unum καὶ τὸ αὐτὸ φάρμακον, omnibus paſſim humoribus conſecravit: nec refert, quòd Galenus moroſior paulo ad Eraſiſtrati invidiam ineptam illam ſuperſtitioſamque Electionem aut ſubſtantiæ ſimilitudinem medicamentis imputarit, cum ipſi hodie Galenici, Chemicorum ſeducti principiis, Scammonium ſuum Cydoniatum ſine diſcrimine ubique uſurpent; rurſum, Chemicorum aliqui Jalappæ tincturam ad omnes perinde humores ipſamque bilem commendent. Spiritum ſuum aureum Rulandus, quem non immeritò Colocynthidis eſſe Tincturam nonnulli augurantur, omnibus promiſcue propinabat. Sed quàm multis unicum Antimonium in omnium morborum

borum ſolatium adſciſcitur; bilem profectò & pituitam ex æquo evacuat, habetque hoc præparatum, ut ex occaſione modò vomitum, modò alvum cieat. At, inquis, ſi uno ſimplicique medicamine tranſigi cuncta hæc poſſunt, cur ad Catholica tam ſollicite, ad Panchymagoga, omnium ſcilicet purgantium miſturas, confugerunt Medici, entiaque ſine neceſſitate multiplicarunt? Error hic fuit, profectò error; peperciſſent enim tot medicamentorum centonibus negotioſi Galenici, jam Chemicorum declinarant invidiam, ægrorumque ad tot compoſitionum partes horrentium faſtidia ſedaverant. Anatomicorum verò hic etiam ſilere experimenta religio eſt; promiſcuè & hæc oſtentant, ab eodem medicamento modò bilem, modò pituitam & alia expurgari, nimirum, prout ſingulorum in venis eſt copia. Imo Jalappæ Reſinam Cani in offâ datam bilem eduxiſſe frequentem, ſero fere ſuppreſſo, teſtari poſſum, & ne aliunde hoc repetas, quàm à bilis à maſsâ ſecretione ſuiſque è ductibus excretione, ventrem ſub purgatione diffinde, biliſque adi vomitoria & ſucci Pancreatici: ab eodem medicamento, modò bilem exundare Hepate frequentem, tardè ſtillante Pancreate, modò fluente copioſo è Pancreate ſucco bilem prodire parcius, oculorum fide cognoſces. Ut mirer Clariſſimum Graafium, quam experimentis ipſe ſuis evertit Electionem, in illo de ſucco Pancreatico tractatu, imprudente elogio aſſeruiſſe: Nam, cum experimento teſtetur ſe animadvertiſſe in Cane, *cui Hydragogum, ex. gr. Rad. Jalappæ drachmas duas exhibuerat, ſuccum Pancreaticum majore copiâ effluere, licet tum bi-*

lis


lis quoque majore copiâ efflueret, & in alio, cui Cholagogum porrexerat, ſuccum Pancreaticum majore copiâ emanaſſe. Cum, inquam, hoc ſcribat, neſcio quâ fiduciâ Electionem in Gallicæ Editionis orâ adſtruere potuerit, & in ultimæ contextu hiſce propugnare verbis. *Colligere tamen potuimus*, inquit, *à Cholagogis bilem & ab Hydragogis ſuccum Pancreaticum longè copioſius expurgari.* Equidem nec experimentis ego his, Graafii, nec ratione convincor. Detraxerit ſemel meram bilem Scammonium, ſerum frequentius Jalappa, non medicamenti hic fuit, ſed redundantis humoris impetus. Quando igitur & ratione & naturalibus experimentis eſt confectum ex ſubſtantiæ maxime modo humorum pendere mobilitatem ſive εὐφορίαν ex hac autem purgationis deinde, utpote motus, ſequi varietatem; neque à Fallopio mihi patiar aut quoquam argumentum hoc effringi, nimirum, aliam eſſe Purgantium quàm gradualem differentiam, ad levia motis tantùm tenuioribus, ad valida etiam viſcidiſſimis, valida autem, non tam numero aucta, quàm ſpecie; ab integrâ enim liquidioris offæ, ſive Mannæ ſeu Caſſiæ, ſelibrâ vix tantam impetres purgationem, quantam ab acrioris, adeoque plus in ſe motus, acuminis reſpectu, habentis, Euphorbii Elateriique momento. Sed ut Fallopium ab anxiâ illâ duplicis formæ inveſtigatione retrahamus, in quâ & ſe & alios miſerè fallit, unam nobiſcum agnoſcat ſpecificamque, in omnibus promiſcuè medicamentis, partium ſaliſque purgativi diſpoſitionem, eamque pro copiâ Spiritus ſaliſque acrioris plus minuſve activam, atque hujus adeo activitatis reſpectu medicamenta ipſa aut Le-

via aut Valida, & cum levia propter motus impotentiam mobilissimos duntaxat tenuissimosque humores ducant, valida, præter Fallopii mentem, in unâ eâdemque formâ & tenacissimos quosque & subtilissimos detrahent; Serum autem, licet fluidius, propterea quod aut sale destituitur acri aut in ultimâ hæret regione, validiora indicabit Purgantia, quàm ipsa Bilis. Sed in Tabulam contrahamus excipiamusque congrua singulis humoribus medicamina, & ex naturali substantiæ modo utraque conciliemus, ut appareat falso enatam commento Electionem ad Experientiæ obrussam denuo everti.

CAP. XXVI.

Dosis nunc quoque deducitur ratio; hanc non continuò pro cujusque Practici supercilio observandam esse, neque ex Veterum dictatis judicandam. Aliam quippe nunc esse corporum patientiam, quàm apud seclum prius. Alium apud singulas nationes vitæ ordinem. Aliud denique temperamentum individui. Proinde dosim morose describendam non esse. Hippocratis in Epistolâ ad Cratevam locus. Exemplum Scammonii & Gummi Indici.

PUrgatâ ergo & hac superstitione, ad alia intrepidè indicatique medicaminis dosim festinemus, neque enim venis committere purgantia sustinent, nisi libratâ ex parte & definitâ dosi. Sed hic ferendum non fuit, quod satis pro imperio, incertis & ex Naturæ temperamento æstimandis medicaminibus, certam constituerint &, ceu ex Apollinis tripode, relatam



Bilis
Fluida, tenuis, acris
Crassa, ignava, ἄναλγος
cui copiosæ respondet *Pituita*
Pauca, sed mobilis
eadem parca, sed viscosa & immobilis
indicat *Cholagoga*
Levia, Volatilia, blanda
Cassiam, Mannam, Rhabarbarum.
Valida, subtilia, Salsa
Scammonium, Euphorbium, Peplium.
Pituita
Liquida, mobilis, *Serum* vocant.
Lenta, immobilis, & omni vernaculo acumine carens
cui copiosæ respondet *Bilis*
Pauca sed fluxa & serosa
eadem parcior, sed glutinosa
indicat
Hydragoga
Levia, pro 1 â Regione
Tamarindos, Carthamum, Ebulum.
Valida, pro 3 â
Gratiolam, Jalappam, Gum. Gotte.
Phlegmagoga, acria & quàm salsa
Thapsiam, Elaterium, Colocynthidem.
Melancholia
Crama ex Acido Bile & Pituita conflatum, cum diversæ qualitatis tum loci respectu omnia omnium in se convertit remedia, nam prout
vel
In Intestinorum latitat gyris, & tenuis est substantiæ
Aut in Venas abripitur, τὸ ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων χυμῶν γλισχρότατον. Hipp. de Nat. Humanâ.
indicat *Melanagoga*
Levia
Polypodium, Fumariam, Epithymum.
Dura
Sennam, Elleborum, Metallica quoque &c.

latam dosim : dosis equidem esse habendam rationem ipsâ constat Experientiâ, nam si purgantia quæque promiscuâ offerantur dosi, indubium est, quin Lenitiva, ad Validiorum revocata doses, inutilia sint futura & viribus cassa; rursum Validiora, ad Levium extenta doses, hoc ipso δηλητήρια, ex quantitate enim, τῷ πόσῳ, Aristoteles Purgantium naturam æstimabat. Scammonium Rhabarbaro æquatum, Agarico aut Jalappæ Colocynthis, non humores tantùm, sed & purpuream detrahent animam. Constat itaque sua dosi ratio; sed in hujus definitione, utrum Græcorum dictata an Arabum sint sequenda, hic verò ingentem pugnam : alii Dioscoridi, Paulo alii inter Græcos primas deferunt, sed Arabibus inque his Mesuæ addictior est Fallopius; & sane scripsit diligenter Mesue, at potuit ipse melius, alius, ut arbitror, pro ista ætate nemo. Sed Neotericorum quoque plurimi fidei suæ devotionisque obliti, in suâ singuli regione doses ordinarunt pro ingenio diversas, & ab uno sæpe particularique experimento universæ Naturæ leges tulerunt pudendas. Sed quid Practicorum hic vello supercilium; hoc tantùm dico, neque ex meâ modò, sed & Ferdinandi Menæ Hispaniensis Medici sententiâ, nec Veterum hic nec aliarum esse Nationum obsequendum legibus. Quid enim, cum etiam medicamentorum tot labentibus seculis, alia sit natura, alia regionum corporumque constitutio, quid nos, & novos & alio sub cœlo habitantes, Græcis adeo, adeo Arabibus obstringat, ut non ipsi & regionis nostræ & corporum experti patientiam, nostris hodie rebus medicamenta accommodemus : & cum

ipſa hodie Græcia à ſe diſſentiat, cum cœli tum vitæ ordine, quis dubitet Euphorbii drachmâ paſtum Græculum apud Inferos cœnaturum. Quis olim ipſâ in Græciâ Laconum fluxa & ſoluta frequenti κωθωνισμῷ corpora Elaterio fuerit aut Elleboro aggreſſus? quæ firmis tantùm, nulloque etiam luxu vitiatis Græcorum corporibus, Hippocrates deſtinarat: fuit autem Laconum κωθωνισμὸς, frequens & iterata vomendi conſuetudo, ab anſato fictili, quod κώθωνα Lacones vocabant, denominata; de quo Julius Pollux lib 6. cap. 16. Extat Mneſithei Athenienſis de Cothoniſmo Epiſtola, magni naufragii rara tabula. Ibi, τὸ μὲν τοὶ, inquit, κωθωνίζεσθαι διὰ πινῶν ἡμερῶν δοκεῖ μοὶ ποιεῖν, τίνα καὶ τοῦ σώματος κάθαρσιν, καὶ τῆς ψυχῆς ἄνεσιν. Jure ergo hæc natio juſtam & duratis tantùm corporibus propriam refugiat doſim. Certè Ægyptii quoque menſtruis dediti συρμαισμοῖς tam facilem ſibi reddiderunt obſequentemque alvum, ut Græcorum offenſi purgationibus levia duntaxat ferrent & lenitiva Pharmaca. Herodoti eſt in Euterpe. συρμαΐζουσι τρεῖς ἡμέρας ἐφεξῆς μηνὸς ἑκάστου, ἐμέτοισι θηρεύμενοι τὴν ὑγείην καὶ κλύσμασι. Sed hodie etiam hæc natio Niloticarum aquarum intempeſtivis hauſtibus adeo ventrem exſolvit, ut ultra Granatorum ſuccum Tamarindorumque pulpam nihil gravius ferat, narrante hoc ex fide Proſpero Alpino. Mollior nunc quoque eſt Italia, quàm ut Græcorum ſuſtineat medicationem; frequentibus enim Clyſteribus lentiſque Lenitivorum Infuſionibus aut aquarum illuvie alvos fatigat, & à Colocynthide & Scammonio, ceu piaculari malo, cavere jubet. Verùm jam ante Galenum plus quàm Aſiatico luxu diffluen-

fluentes Romani, Græcum in morem vomitionibus crebris pœnitentem exſolvebant Stomachum. Hoc fuit ἐμετικὴν agere, ut Vir Magnus emendat, in Ciceronis Epiſtolis ad Atticum. Lib. 13. Ep. 50. *Unctus eſt, accubuit, ἐμετικὴν agebat, itaque edit & bibit ἀδεῶς.* Celſus hic videatur Lib. 1. Cap. 3 & Seneca Epiſtolâ 95. Qui ibi officioſe dolet, propter infamiam temporum & vitæ mutationem Veteres Hippocratemque in mendacio deprehendi, quod enim illo tempore & pro vitæ iſto temperamento verum erat, id nunc longo luxu nimiâque felicitate convelli & falſum eſſe, non naturæ ſed vitæ mutatione. Acceſſit hiſce alia effæminatio, balnea iſta & Thermopotantium gulæ; hinc invalidæ carnes & alvi, ad minimum medicamenti motum, fluxæ. Sane inter ea, quæ calidi ſunt incommoda, etiam σαρκῶν ἐκθήλυνσιν Hippocrates numerat Aphor. 16. Sect. 5. De Italis verò & Gallis hoc non tantùm dicendum eſt, quòd mitiora nunc ferant purgantia, ſed de Germanis quoque & arctöi orbis hoſpitibus, quippe qui Braſſicâ potius & Ebulo, quàm duriſſimis quibuſque expurgentur, ut notat Bartholinus in libro de Medicinâ Danicâ. Hic autem an inficiemur, Septentrionales iſtas gentes, Polonas, Sarmatas, tot Vinis ardentibus torque garis piperatis duriorem pro iſthoc climate alvum leviſſimis reddere medicamentis obnoxiam? Equidem Germanorum crebra ἀσωτία acriorumque alimentorum delectus hoc effecit, ut nunc quoque vehementiſſimam medicationem impatientius ferant. Ergo, cum tantùm hodiernæ vitæ ordinem inter & antiquæ interſit, miran-

dum non eſt, mitioribus hodie medicamentis, ne dicam, doſibus, alliganda eſſe effæminata hæc corpora, veterumque cum medicamenta tum doſes Chemicorum expianda inventis. Eat itaque & confidat antiquorum illis, Dioſcoridis Galenique, doſibus imperioſa Medicorum Natio, & incorruptis temporibus certa & tuta medicamina, ad temporum haſce corruptiones moroſè applicet. Sed fruſtra hic ſe torqueat quiſquam, cum neque Arithmeticæ nec Criticæ dari medicamentorum doſes poſſint; nam ſi Cacochymiæ exſuperantis proportio, ſi mobilitatis aut modi ſubſtantialis gradus aut denique temperamenti prætereat proprietas, quid nos adeo & doſium & ſpecificorum curioſos eſſe juſſit. Aliquid à corpore fluere, quod certâ ſub latitudine medicamenti indicet proportionem, negandum non eſt, ſed quod nec numerum nec punctum definiat, aut ſaltem fallat. Bellè enim Hippocrates & expertus, in Epiſtolâ ad Cratevam. καὶ γὰρ καὶ στομάχου κάκωσιν ὑφορώμεθα, καὶ ξυμμετρίην φαρμακείης ἀγνοοῦμεν φύσιν στοχαζόμεθα, οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ, καὶ μία φύσις ἁπάντων. *Non enim eſt*, inquit, *eadem omnium atque una natura.* Ut deſinant grana numerare & univerſæ naturæ doſes conſtituere Naſuti Practici. Quis ab imperatâ vulgò Scammonii doſi purgationem audacter exſpectet, quod apud Fallopium Germanus etiam unciatim vorabat, quodque ad drachmam Septalius & ad ſeſqui-ſcrupulum complures obtulerunt. Et cum omnes adulterari, modò leniore, modò virulentiore ſucco fateantur, quid eſt, quòd ad aliorum alii invidiam ſuas tantùm doſes pro imperio recipi voluerint; ſatius eſt ubique infimam

Scammonii dosis
- Crudi
  - Veteribus
    - Dioscoridi ad ℥j.
    - Paulo ℈iv.
    - Mesuæ gr. xij.
  - Novitiis
    - Brassavolo. ℈j,
    - Fallopio gr. xij.
    - Heurnio gr. vj.
- Præparari
  - Aquâ Stillatitiâ
    - Fœniculi, Cichorii — ad gr. xxiv.
  - Spiritu Volatili
    - Vini gr. xv.
  - Acido Succo
    - Mali Cydonii, Limonum — ad ℈j.
    - Aceti, Sulfuris halitu — gr. xxv.
    - Spiritu Vitrioli ʒß.
  - Sale Lixivo
    - Tartari oleo, Nitri liquore fixo — gr. xxv. & ultra.

ſimam commendaſſe doſim, ne fuci prodamur ignorantiâ. Jam & pro Chemicorum præparatione medicamentorum variantur doſes; Scammonium enim prout vel vini ſpiritu extrahitur aut acido vel etiam lixivo ſale, ita magis minuſque erit potens diverſiſque propinandum doſibus, ut verſipelle eſſe medicamen credas. Gummi quoque Indici ſeu guttæ gamandræ varia conditura regionumque diverſitas doſis popoſcit mutationem; quod enim Zaccharias à Puteo, Medicus Anconitanus, ultra quindecim grana augeri Gummi doſin religiosè vetuerit, à loci aërisque repetendum eſt ingenio. Noſtro enim ſub cœlo ſcrupulum multi impune ferunt, nonnulli etiam grana quinque & viginti, ut expertus ſum; Reudenii Devotus drachmam ſine noxâ ſuſtinuit, quod in Picenis malè ceſſerit. Sed in quantum aut Vini ſpiritu vel oleo Tartari Vitrioli phlegmate corrigitur enervaturque, ita ſuos patitur manes variâque doſi gaudet. Maxima erit & tutiſſima ab olei Tartari correctione, cum enim Volatile putredine exſolutum ſit, minus erit vis impetuoſa & ad alvum tantùm convertetur inferiorem. Ab Acidi vero fixatione exoletam eſſe impotentemque doſim oportet, nam vel color iſte viridis teſtatur ſuppreſſam eſſe formam, hoc tamen nihil impedict; quo minus in copiosâ doſi turbulentè purget. Sed in Tabellâ deducamus Scammonium doſiumque allegemus exempla. Uſurpatur itaque

CAP. XXVII.

Eliminato omni præjudicio & divinatâ dosi ventri committuntur Purgantia, ubi non restant ex Erasti Sententiâ, sed, quâ data porta, ruunt, impulsore intestinorum motu. Posse aliquas purgantium partes in intestinis morari & proximâ Sphærâ evocare humores, experimentis & particulari purgatione probatur, hoc vero non Tractione, sed fermentatione. Aquapendentis locus explanatus.

DOsibus ordinatis nihil amplius est, quod utilis medicamenti haustum moretur; & quamvis eadem hæc purgantia aut ventri illita aut metacarpio, vel denique manibus versata alvum quoque mollius detrahant, cum tamen in unius gulæ gratiam dosium prodierit morosa distinctio, assumptorum potissimum purgantium rationem habebimus & paulatinam per ventrem perque venas emissionem naturæ auspiciis insequemur. Sed hic cunctari nos jubet Erastus, manentisque in hiris medicamenti Tractricem explorare, mansione quippe non emissione, totum hoc negotium confici existimat, omnesque sic solvi Purgantium quæstiones, utut nodosas intricatasque. At tantùm abest, ut hoc istâ viâ effecerit Erastus, ut contrà spissiore caligine causam involverit. Nam cum Fallopius minimorum tractionem in venis continuasset, hic in distans agere & in intestinis permanere, ut salva esset imaginaria tractio, constanter disseruit; quare ut sibi quoque placeret in Hippocratis loco, *Plantas*, inquit, *trahere*

trahere oportebat ſuccos naturæ ſuæ congeneres, qui nec ipſi per ſe movere ſolerent, nec à terrâ, in quâ eſſent, ad ſingulas plantas amandari poſſent. O laborioſam Plantarum tractionem! καταμάθετε, ait Spiritus Dei, τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς αὐξάνει, οὐ κοπιᾷ οὐδὲ νήθει. Sed ipſas ſibi de victu proſpicere neceſſe eſt, ſi neque terra officium faciat nec inteſtinum familiareque terræ fluidum ſurrepat, impulſore ſpiritu. Quemadmodum autem à Sole & ſubterraneo ſpiritu pelli urgerique alibilem ſuccum conſtat, ita ipſa Purgantia nullum in ſe habere pellendi trahendive principium, ſed à lambente fluido caloreque exſolvi, inque venas, ceu totidem radicum fibras, impelli experimentis credimus. Cum enim ejus naturæ ſint Purgantia, ut in quodvis humidum particulas emittant purgativas & ad quemvis calorem, quippe τὰ ὑποχωρητικὰ, ait Hippocrates in libro de locis in homine, ὅσα ἐν τοῖσι θερμοῖσι λεπτύνονται; qui evenire poteſt, ut in ventriculi inteſtinorumque natantia fluido, accedente calore, ἡ γὰρ κοιλίη θερμή ἐστι, particulas non effundant purgativas & inſtante calido propellant? ut ſic mutari Purgantium formam, quam ſolidam volebat Eraſtus, inque minutias dividi corporales neceſſe ſit. Sed premit nunc etiam morantis fluidi tarditatem partium incumbentium motus & in hiatus, calore reſeratos, impellit. Verùm mones, non eſſe opus, ut in tam vaſtam diſſipentur Sphæram purgantia, quippe poſſe corporis admota extremo ſine hac attenuatione humorum ad ſe trahere ſaburram, Aquapendenti in Chirurgiâ ſuâ videri; dicit enim, Part. 1. Cap. 47. *In Thoracis fiſtulis, ſi humores pravi ad fiſtulam influant eamque vexent, pilæ de flavâ*

vâ cerâ admiſcenda eſſe medicamenta in pollinem redacta, quæ peculiarem humorem trahant & expurgent: ut ſi acris ſit humor, primò Rhabarbarum pulveratum, inde Scammonium, ſi pituitoſus, Agaricum, poſtea Colocynthidem, ſi Melancholicus, Sennam, Epithymum, Polypodium, tum deinde, qui potentiſſimus eſt, Elleborum nigrum adhibendum eſſe. Sed notandum eſt, hoc, quod Purgantis vice fiſtulæ inſinuari Aquapendens jubet, non eſſe quod agat quodque in ulceris receſſum Cacochymiam evocet, ſed ipſas eſſe, quæ latè exſpatiantur, Purgantium atomos, ulceris humido corporiſque calore in patentes proximè venas continuumque fluidum immiſſas; hæ enim, quod purgantium eſt, commigrantem huc viciniæ ſanguinem fermentant & à Cacochymiâ liberant, quæ cum naturaliter in fiſtulam incumbat, nunc etiam ex accidenti huc convertitur; ut vel hinc appareat, quæ in purgatione eſt determinatio, non à Medicamenti ſed humoris eſſe impetu; eædem quippe particulæ, ſi latius proſerpant majoremque occupent Sphæram, in alvum poterunt cum humoribus derivari & inopinam movere dejectionem, imo purgationem per ſalivales glandulas, ut ex Mercurio conſtat inuncto. Sed cum præparato Ellebori ſucco aut Croci Metallici infuſione tentare hoc inconſultum fuerit, quia ſanguini inſtillata peſtem indubitatam adferunt, ut alibi notavimus. In particulari quidem purgatione, Apophlegmatiſmo & Ptyeliſmo, licet Purganti proximè ſuccedere tracti humores videantur, non alia tamen eſt cauſa quàm illa minutiarum emiſſio vicinæque Sphæræ fermentatio, ad proxima propriaque recepta-

ceptacula naturaliter contendens. Pyrethrum & Rhabarbarum commorſicata, frequentem eliciunt Buccarum Maxillæ & totius Palati glandulis humorem, non bilioſum ſed ſeroſum, ut deſtinari etiam ſero Rhabarbarum poſſit, &, quæ Braſſavoli monito idem hoc facit, Aloë; ſed hæccine ideo eſt tractio, quòd principium aut centrum activitatis ſuæ, id eſt medicamentum, petant humores, quaſi tracti? Falleris; eodem corporis calore ſalivalique deliquio diſſolvuntur reſinoſæ purgantium partes, humidique vehiculo; perreptant enim volatilitate ſuâ continuum fluidum, glandularum illabuntur receſſibus, fermentumque ibi hærens, ſive appellentem ſubinde ſanguinem ad majorem fluidi ſecretionem attenuatione diſponunt, & in patentia ultro vaſcula invitant. Quòd verò etiam in Errhinis vulgò Elleborum detrahere pituitam exiſtiment & ad ſe vocare, mentis quidam lapſus eſt; quippe non trahit, ſed narium illo calore ſuperficialique humido diſſolutus & in membranæ pituitoſæ venulas illatus, ſeroſiorem partem fermentatione ſeparat perque apertos poros, ceu rara cribra, tranſmittit. Evenire tamen poteſt, ut ſi juſto potentius & ſæpius inſuffletur Ellebori pollen, in majorem abeat activitatis Sphæram, & poſt totius ſanguinis fermentationem in alvum deſpumet, ut familiari cuidam meo accidiſſe novi. Quòd ſi igitur cuiquam videbitur, inteſtinorum adhæreſcere fibris Purgantium particulas, & ex Meſaraicarum ſeu glandularum oſculis, ſive, quos poſtea demonſtrabimus, inteſtinorum tubulis evocare materiam, is ſane non tam Tractioni hoc imputare habeat,
quàm

quàm volatilium effluviorum in proximam Sphæram per continuum fluidum emissioni; illa enim, dum instant fermentantque resinosâ aurâ imminentem intestinis aut Mesenterio humorem, per naturalia inde claustra copiosum, & propter motus vehementiam, liquatum exponunt, nam, quod extremis venis excutitur succi, liquidum plerumque ab alvo cedit: quâ viâ uti proximos circa intestina aditus evacuari crediderim, ita, quando ab extremo habitu aut venarum terminis revocandus est humor, non alio quàm plenâ atomorum emissione proximoque contactu fieri purgationem existimem: adeo ut effluvia ista à centro ad ambitum excurrentia, purgationis causa formalis censenda sint, cætera verò pars, unde emanabant, ne principium quidem, quæ tamen, Erasti elogio, maxime & irritare & purgare debuerat. Sed quâ ingenii acie penetrare potuit Erastus, solâ membranæ intestinalis vellicatione extremis artubus insidentes succos expurgari; equidem nec sponte suâ nec sine impulsore ad Mesaraicarum oscula humores prorepent, sed disponi huc & in motum dari ab effluviis hisce debent. Nihil autem, respectu corporis, emissionem hanc adeo morari videtur, cum contrà tractioni illi permulta officiant, non enim non possunt, ventriculi illapsa humido, dissolvi resinatamque auram emittere: certè non patitur calor partiumque stringentium pulsus tentatam irritationem & moram intestinalem, in quâ tantopere triumphat Erastus. Quin tam necessariò ab intestinorum contentis proluitur fluctuantis Pharmaci solutio, ut, si viscosior pituita primas insederit vias motumque

que periſtalticum tardarit, à medicamenti morantis onere Natura, vel vomitu ſe vindicet, aut ipſum ſine ullo purgationis fructu in inteſtinis aliquandiu alat, ubi ſecundum Eraſtum, vehementiſſima & non intermiſſa purgatio debebat ſequi. Sed unum eſt, quod foviſſe Eraſti opinionem videtur, nimirum, quòd rejecta ſæpe medicamina alvi comitetur purgatio. Atqui Eraſte, minus hoc tuæ irritationi patrocinatur, quàm noſtræ effluviorum emiſſioni; licet enim totâ reddi ſubſtantiâ & numero purgationis offa pilulæque videantur, tenera tamen ſubtiliaque effluvia immiſerant ſe jam ventriculi liquido & in venas abierant, ſed, ob virtutis impotentiam, proximas tantùm. Profecto pilulæ & pulveres in menſtruum immiſſa ſine ſenſibili molis extenſioniſque diſpendio liquorem inficiunt; ita & Medicamina, quæ faſtidiens gula revomit, reddunt aliquid vicino fluido purgativi, reſinæ fermentantis, non ſolidi irritantis: cauſa autem, quòd gravari ventriculus purgantia, vomituque aliquando rejicere ſoleat, diverſa eſt; mox enim pituitæ eſt viſciditas in culpâ, modo ſeri fluctuantis abundantia, ſed ſubinde quoque bilis volaticæ impetus. Si viſcoſa Pituita ventriculum opplet, jam nihil eſt, quod commeatum dare fluenti ſponte Pharmaco poteſt, nihil, quod pilularum compactam pulpam diſſolvere: igitur pituitæ illi per ſe glutinoſæ, ceu onus, accedit pilularum moles, ventriculique jam effœti fibras ad contrahendum ſe facile impellit: quod ne à ſpecificâ irritatione deducat Eraſtus, experientia prohibet: novi enim Mulierem, non ad quasvis modò pilulas, ſed ad ſingulas quoque de Cynogloſ-

noglossâ, quæ vomitum aliàs sedare solent; vomendi consuetudine teneri, & , quod mirum est, cum quâlibet rejectione pituitam reddere tenacem. Sed aliquando etiam, exæstuante in ventriculi sinu sero, vel liquidi purgantis haustus, dum effluviorum acumen quietas per se seri particulas μετεωρίζει, ad subitam rejectionem invitare potest, quod in Praxi non infrequens. Sæpissime verò Bilis fluxa & volatilis assumta medicamina eâdem viâ remetitur, ad minimum enim medicati effluvii motum effervescit ipsa & ὀργᾷ; hinc pronus biliosi humoris in ventriculum impetus medicamentique pariter & excrementi accidentalis expulsio : scilicet, levissimus deerat motus ad bilem concitandam. Cæterùm, quo plus effluviorum in massam proserpit, eo est vehementior futura purgatio, etiam post medicamenti rejectionem : sed justa & omnibus numeris perfecta tum demum erit, quando in eas etiam partes adiguntur Purgantium effluvia, in quibus, vel remotissimis, latitat putida excrementi materia; adeo ut, si in habitu corporis hospitatur, eò necessario prorumpere debeant, premente intestinorum motu, & communi humorum flumine in sanguinem & in ultimos usque venarum cancellos ducente. Ut enim in intestinis illa remanerent effluvia irritationemque, vel in distans, facerent, tota verti rerum natura, motusque, tam partium continentium, quàm fluidi contenti, ceu incantatione quadam, sisti debuit : quod utrum aliquis à genio suo, quantumvis religioso, impetrare possit ut credat, seriò dubitem.

CAP.

Cap. XXVIII.

Quâ ſpecie reſolvantur Purgantium particulæ; diſquiritur; Solutionis eſſe ſpeciem, videri; quia fluidum ubique corporis exundans rapit diluitque ſolubilem purgantis portionem, Reſinam à nobis dictam. Halitum neceſſariò in aëris ſpatio fieri, ac proinde dubium eſſe, an in venarum aut viſcerum cavitate, quippe quæ tota humido obſeſſa ſunt, naturaliter contineri poſſit. Experimenta deducuntur. Altera fluidi diſſolventis utilitas.

INveſtigandum quoque eſt, poſt aſſertum Purgantium motum progreſſum, quâ deinde ſpecie aut formâ in venas penetrent effectumque reddant ſuum Effluvia. Equidem adeo neminem obtuſæ naris eſſe exiſtimem, ut putet eâ ſpecie in venas dividi, Purgantium offas, quâ aſſumuntur. Sane, cum omnia fere venarum ſpatia perreptari, fluidum omne efferveſcere totumque convelli corpus in ſolenni purgatione videatur, omnes partium continentium fluidique volubilis meatus obſideri cauſâ afficiente moventeque debent. Ergo, cum Purgantis ſolidi moles ſit anguſta & ſæpe intra grani modulum contineatur, ultro non venientibus humoribus, in ampliſſimum neceſſe eſt & latè patentem circulum, univerſi ſcilicet corporis ambitum, dividatur, ſed dividi non poteſt, niſi mutatâ ſpecie & loco; in minutias itaque abire inſenſiles & corpuſculorum ramenta probabile eſt; quod ne à Purgantis ſapâ alienum eſſe credas, πληρωτικὰ eſſe oleoſa quæque

que & ipſam ſapam Capite XI deduximus. Verùm hic ambigunt, an, quæ purgantium ſolido emanant effluvia, halituum ſint aut ſolutionis inſtar Chemicæ. Halitus certè, ſpiritus eſt minutim ſparſus & aëris ſpatio diffuſus, qui, ſi aquæ eſt, Vapor dicitur. Solutio verò, ſunt miſſæ in liquoris fluidi poros medicaminis particulæ, quæ, ſi colorem fundunt, Tinctura audit. Per halitum, id eſt, diremta aëris tractu effluvia, medicaminum, & imprimis Purgantium, exſolvi portiones & Empedocles & complures veterum voluerunt, quos nunc magna quoque Novitiorum turba ſequitur, ſonant enim ubivis halitum, & in omnibus paſſim phænomenis accuſant. Sed rectè ratiocinemur, dividamuſque ſententiam. Si halitus corporum ſunt atomi aëreis intervallis diſtentæ, neceſſariò, ut halitus fiant, & aëris ſupponi ſpatium locique capacitas debet, quæ ſi neges, jam centro ſuo elabi ſuperficieique ambitu nullæ atomi poſſunt. In Phialâ hoc licet experiaris, quam ad ſumma uſque labra Vini imple ſpiritu, aut lato pollice tenus, hujus deinde oſculo indue veſicam, ſed aëris expertem; ignem ſubde & urge, ſtatim ad caloris ſenſum turgeſcet liquor &, quod digito tenus vacuum erat, ebullitione implebit, nullo aſſurgente propter defectum aëris ſpatium halitu; ſed redde deinde Phialæ tuæ auram vacuamque indue veſicam, denſo ſtatim halituum ſucceſſu collapſæ veſica parietes creſcent, inque tumorem attollentur magnum. Quin imo vapores etiam, niſi in aëris intervallo, non exeunt, ſed efferveſcit duntaxat ſuccenſa materies, liquidique ebullitione obſiſtenti loflco renititur. Olla certè lactis plena,

niſi

nisi plenam habeat respirationem, halitum non effert sed despumat. At, licet bini humores vesicæ vacuæ commissi subitâ effervescentiâ rugosos parietes explanent inque tumorem elevent, mox tamen pacato motu ad eandem redit vesica superficiem, ut multum materiæ subtilis per poros receptæ adfuisse credas, pauxillum vero aëris, nec tam halitum fuisse distensionis causam, quàm ebulliens liquidum. Igitur halitus aut vapores sive ἀπόρροιαι Empedoclis in aëreo fiunt fluido, spatiumque requirunt amplissimum, solutiones contrà in fluido aqueo, & menstrui circumscribuntur ambitu. Jam nè halitum in ventre venisque regnare patiamur, aëris jubet absentia; ejus enim neque in venis naturaliter nec ventre est copia, & in alias corporis partes, præterquam Pulmones, illabi, vitium est: quoties ergo in intestinis repertus est pituitæ implicitus visco, toties contra naturam & dolorum causa fuit. Quotidianæ verò comessationes docent, quodcunque aëris cum alimentis, quorum interstitiis naturaliter inerat, in gulam propellitur, molli se ructu in palatum removere. Imo tantum abest, ut Chylificationi aër inserviat, ut potius perturbet: eâ quippe de causâ conceptos cibos arctissimè complectitur venter, & conniventium osculorum coitu ab aëris vindicat commercio. Vulgus equidem meliorem sibi spondet fermentationem sejuncto aëre, fluidi enim subtilissimi, seu materiæ cœlestis, beneficio peragitur. Hoc autem sub concoctione, patentne aliàs viæ? At verò, non succedente alimento, exulat tum quoque aër, inque rugas contractus ventriculus, attenuatâ parietum collapsu pituitâ, in suas

ufque defævit membranas alimentique orbitatem collifione dolet. Id quod in fame enectis longâque inediâ cernere licet, in quâ adeo fibi ventriculi membranæ agglutinari vifæ funt, ut nulli amplius cibi coalefcentia labra referare potuerint. Equidem in vivis fectionibus, extra paftus ordinem, contrahi paffim ventriculum & inteftina, nullo intercedente aëre, obfervavimus. Quadrupedum omafa Aviumque ingluvies præter alimenta, etiam pulvere, arenâ, folidoque lapide intumefcunt, omni eliminato fluido. Quare hoc nunc decernimus præfcribimufque axioma. Venas, veficas, corporifque meatus omnes, uno excepto corde, ceu totidem liquidi aut alimenti receptacula, naturaliter circa humores fuos contentumque liquidum coire & ab ipfis adeoque humoribus expandi. Itaque, cum nullus aëri in ventre aut venis fit locus, non eft, ut halitum in deficiente hoc fpatio quæramus. Sed exeat jam halitus, fitque aura in quâ fe refolvat humor, certe, cum in udos undique parietes, cum in humorum impingere rivos debeat, amittent halitus naturam volaticæ partes, & ab humido in humoris flumen denuo cogentur. Hoc experimenta palam oftendunt, & in ipfo Mercurio mirum eft, fi vera narrat Dygbæus, quòd fummo Alembico fufpenfus, alium fubjecto igne vaporantem & in halitus difperfum Mercurium, in fe colligat inque ftillas volubiles reformet. Ut taceam in inteftinis hoc maximè debere fieri, ubi luxuriantem paulò halitum motus reprimet periftalticus humidoque illidet. Deinde, fint quoque halitus confiftantque in inteftinis, quâ eos viâ dilapfuros fperas, ut in maffam deveniant fanguinis?

La-

Lacteasne perreptabunt venas? verùm his liquor tantùm recipitur, nullus vel halitus aut flatus, hujus visciditate oscula venarum obsidente, istius verò tenuitate etiam fugiente: quippe; quod osculis excipietur lactearum, sinibusque se ingeret anfractuosis, flexile esse debuit corporeumque fluidum. Quid quòd in calentia intestina immissum aërem vario motu manuumque pressu huc illuc impulimus, constricto utrinque vinculo fugam occupantes, verùm in lacteas aliasve venas nihil unquam emersit aëris aut flatus. Ut autem appareat liquidum eò deduci posse, quò nulla unquam aura; corpulentius fluidum, quò nunquam subtilius, experimentum adjiciam. Infunde in Arteriam liquorem coloratum, is sanè liquor transmissâ carne in venas redibit, signabitque colore venarum vestigia; inspira aërem, quâ potes, vi maximâ, nunquam ejus auram in venis persentisces. Ut sic constet in tenera lactearum oscilla solutionem melius, quàm halitum receptum iri, cum dubios aditus propter particularum simplicitatem minoremque molem refugiat. Quod si nec hoc juvat, halitumque dari certum est, quid de metallicis fiet non paucis, quid de Antimonio, Ære, Ferro, aut lapidum nonnullis, quæ tot ignibus extorta dedissent jam, si quid fuisset halitus aut aërei fluidi; eane in corpore ad mollem calorem resudare existimes, quæ nulla expressit vis ignis? Sed supra quoque Cap. VIII. ostendimus, Purgantia in halitum purgativum clauso in vase resolvi non posse, nihil ergo esse, quod ventri hic, ceu clauso vasi, nihil, quod rugosis contractisqve membranis imputes. Notum vero

eſt per experimenta, aut in aperto foco, aut liquidi ſolutione purgantium elici effluvia; alterutrum ergo in ventre fiat neceſſe eſt. Sed de liquidi ſolutione quis ambigere poſſit, cum totus ventris alveus humido abundet, & omnes paſſim aditus liquor inſideat. Et ne longè arceſſere menſtruum oporteat, ipſius Salivæ liquidum, cujus maximè hoſpitio ventriculus gaudet, cum penetrare tum extrahere, ſolutionis inſtar, meliorum & inculpatam Purgantis partem poterit & in continuum deinde fluidum proximaſque venas dividere; poterit etiam exſtillans Oeſophagi glandulis ſecretiſque villorum tubulis humor ſalivæ partibus defungi & liquido diluere Sapam; ſed tandem Pancreatis Hepatiſque manantes ſucci potentius extrahere ſolutionemque perficere, quorum deinde omnium moto itinere ordinarios tentare venarum aditus neceſſe habeant: liquidi enim ſeu menſtrui ſui motibus abrepta Purgantium effluvia parere debent. Quia autem perſæpe Melancholicis Pituitoſiſque humoribus ventriculus ſcatet, qui ad ſolutionem conficiendam minus ſint idonei, ab arte præſidium acceſſit, certiſque menſtruis Solutiones laboranti Stomacho accommodarunt Magiſtri. Hinc illæ Reſinarum Extractiones, quæ, quo minus habent alienæ ſordis, ita facilius totæ à venis hauriuntur, ſpirituoſioriſque ſalivæ defectum compenſant; Vini quippe ſpiritus, verum eſt germanumque Purgantis Reſinæ menſtruum, ſpirituſque ſalivalis ἀνάλογον. Etiam Vini liquidum Croci Metallici cæterorumque purgantium evocat effluvia & in venas dividit; quis autem in corpore atomos haſce à menſtruo ſuo ſejungi & è Solutione in halitum

tranſire.

transſire credat? adeo ut parci huic præparationi poſſit, ſi forte ſatis eſt ſpirituoſumque ventriculi menſtruum; quando vero hoc deeſt, tum autem maximum eſt ſolutionum harum menſtruorumque beneficium. Exemplo ſunt Pituitoſi, queis ſi ſolida ſiccaque obtuleris purgantia, pituitæ ſæpe intricantur viſco, alvumque, aut ſerò movent ſoluta, aut planè deſtituunt, quod in Muliere ſe notaſſe Fallopius teſtatur Cap. 3. de Purg. Med. Fac. *Exhibui*, inquit, *aliquando Cochias mulieri cuidam, & cum nullam vidiſſem factam evacuationem, putabam eas fuiſſe ab inſito calore concoctas & penitus ſuperatas, ſed poſtea ſexta die evomuit eas omnes integras, involutas in pituitâ vitreâ & craſſâ, quam ſimul copioſam rejecit. Hocque factum ob maximam frigiditatem viſcerum, & in muliere illâ nulla fuit facta evacuatio, nec ante nec poſt rejectionem pilularum.* At vero non tam factum hoc, Fallopi, ob viſcerum frigiditatem, ad diffundendos enim halitus ſatis erat inteſtini caloris, quàm menſtrui liquidioris & ſpirituoſi defectum, quò ſolutio conſtaret medicata, quæ omnibus adeo purgantibus & imprimis ſolidis eſt neceſſaria, ut ſine fluidi potulenti additamento nulla unquam ſolida purgatio juſtam temperiem ſit habitura, hoc enim vehiculo & cum humoribus facilius & venis communicatur liquata Purgantium Sapa.

CAP. XXIX.

Solutæ Purgantium particulæ fluidi motum sequuntur, cum intestino calore tum motu intestinorum peristaltico propulsæ. Alimenti iter insistunt, venarumque Lactearum osculis insinuantur, sed & Cœliacarum Mesaraicarumque extremitatibus. Aristotelis insignis locus. Purgantia superficiei corporis admota, ducente fluido corporis, in venas & interiora deducuntur.

DUm ergo ventriculo elabuntur Purgantia, tam calore naturali quàm menstruo volatili subacta, humoris, in quo dissoluta sunt, flumen ultro sequuntur. Cum tamen acumine salino fermentent quodammodo & inflent pituitæ viscidioris ramenta, flatus sæpe ventrem infestant sonori, Borborygmos vocant, bullientisque liquidi extensio ipso in ventre, etiam ad manuum tactum, sensibilis est. Ut ollæ instar ferventis, non halantis Alembici esse intelligas. Sed ad huncce tumorem maturè se contrahit ventriculus, bullientemque solutionem pressu in intestinum exponit; jamque ad confluentes Bilis succique Pancreatici major est molitio, effervescentiamqne auget salina intemperies; salis enim purgativi acumen fellei fermenti accedens contubernio, viscosam passim pituitam, cum ventriculi tum maximè intestinorum hospitam, in flatum convertit, ipsumque aqualiculum, imprimis, si admissum frigus medicamenti maturam distributionem tardaverit, mirificè extendit. Quod etiam in iis factum aliquando observavi, quibus acriora Purgantia &

ab

ab Empiricorum mutuata manibus insolentes dederant Chirurgi, & temperamenti & justæ præparationis obliti. In bonâ autem purgatione Hepatis Pancreatisque aditum emensa solutio, fervendo bulliendoque intestinorum plus minus pandit parietes, sicut alimenta fermentata solent; hac expansione quid mirum est Lactearum anfractuosa oscula recludi, & quidquid est spirituosi aut liquidi, urgente peristaltico motu, instillari. Neque enim in laxo vacuoque intestino patere hosce aditus credibile est, sive quòd valvulæ, quæ ipsas obsident, constringantur, seu quòd contorta intus oscula fibrarum collapsu coalescant; ut necessarium videatur, hac parietum intestinalium expansione, adeoque fibrarum à se mutuò recessu, aperiri intercepta Lactearum oscula liquidumque spirituosius quàm citò hauriri; idque magis, quòd calor internus fluidi excursum temperet; quod vero crassius est, quàm ut hisce osculis recipi menstruoque ventriculi solvi possit, ut in Rhabarbari & Sennæ pulveribus contingit, id transmisso hoc venarum aditu in alvum solidique excrementi latebras rejicitur, quod vel colore prima excretio indicat. In hanc autem sententiam, aut, si placet, suspicionem Malpighii exemplo, Sagacissimi Anatomici, perductus sum. Is in libro de Bombyce, raro & societatis Anglicanæ applausum commerito, de tubulorum bronchialium, summâ cute fibras inter macularumque medium emergentium, constitutione dicturus, respirationem Bombycis sic explicat; quòd nimirum contrahentibus se in orbem macularum fibris, ciliaris instar processus, medium maculæ interstitium, ultimus
 bron-

bronchiorum tubulus, claudatur, expresso aëre; sed quòd, retrahentibus se & ad ambitum diffusis hisce fibris, amplientur rursum oscula, crescensque corporis superficies musculorum tumore, circumstantem undique aërem in patentes bronchiorum hiatus impellat. An simile quid Lactearum poris motus conferat peristalticus? Equidem opinor. Sed notandum, quando flatibus distentum est intestinum, tum non bene progressuram esse solutionis purgativæ distributionem, oscula enim non tam patent quàm rigescunt extenta: certum autem est molestæ & tardæ purgationis argumentum, ventris intestinorumque matura tensio; scilicet, cum promoveri motu peristaltico & surrepticio Purgationis liquor debeat & in curvos sinuatosque tubulos inferri, annon suspenso hoc motu fibrarumque quasi luxatione, aut nulla futura est, aut tarda medicamenti distributio. Accedit, quòd flatus ipse Lactearum oscula obsideat nitentique liquido viscositate suâ renitatur, ceu oleum aërem arcere à bronchialibus Insectorum tubulis solet. Quantum vero calor hic quoque conferat cum corpori tum fluido proprius & vernaculus, vel hinc manifestum est, quòd emortuis jam canibus motuque omni defunctis, restans à morte igneus vigor, Chyli subtiliorem partem impetu suo in Lactearum sinus impellat, ut nos ligatura docuit. Calor ergo ἀναστομεῖ, clausumque se ipso vas subtili effluvio reserat. Quod si quis ad oculum demonstrari hæc sibi Lactearum oscula urgeat, ei certe nec inflatione, nec quantumvis subtili exenteratione satisfieri poterit, tortuosi enim convolutique intra membranas ductus præ flatu arctius coëunt,

quàm

quàm ut notari possint; cum verò exenteratione ad simplicem membranam perveniri nequeat, simplex etiam & irretortum tubuli osculum indagari vix potest, quippe quod intra duplicaturam serpat. Sed hoc tandem elici memorato usu axioma debet. Nullo existente in intestinis, sive ab alimentorum seu medicamentorum humorumve ebullitione, motu aut calore oscula ista reclusum non iri, neque in venas quidquam elapsurum lacteas, statu itaque naturali vacuisque hiris nihil in ipsis conspici vel alimenti aut humoris; nunquam enim, vinculo variis Mesenterii locis injecto, Lactearum tumorem extra cibationis tempus aut copiosæ fermentationis videre licuit. Utque ab ebullitione tantùm spumosâ osculorum Lacteorum apertionem venarumque tumorem dependere scias, ecce Grafii experimentum. *In quibus*, inquit, *dum aperirem abdomen duabus vel tribus post assumtum purgans horis, venæ lacteæ non apparebant, in iis nec bilem nec succum pancreaticum majore copiâ deferri ad intestina comperi.* Nimirum, cum bullienti liquido intestini se debeat osculorumque Lacteorum tensio, deficiente ebullitionis materiâ, frequente humorum effluxu & orgasmo, collabi denuo oscula lacteosque ductus necesse est. Hoc vero, quod diximus, de primi generis lacteis intelligendum est & ab intestino contenta repetentibus, secundi enim generis ductus, si non lymphâ, saltem misto scatent alimento glandularumque succo. Ebulliunt itaque in intestino Purgantia liquido adjuta, quod ideo siccioribus sociari medicamentis solet, distendit intestini parietes spumosa bullitio, laxantur membranarum fibrillarumque recessu intercepti ductus, & nitentis à centro fluidi cremorem ex-

cipiunt. Quod adeo etiam Aristoteli visum est, ut hic obstitisse Magistro Erastum pudeat. Disertè enim Problematum Sect. 1. Problem. 42. τὰ φάρμακα, ait, ὅταν εἰς τὴν κοιλίαν εἰσέλθωσι καὶ διαχυθῶσι, φέρονται καθ' ὥσπερ ἡ τροφὴ πόρους εἰς τὰς φλέβας· οὐ πεφθέντα δ' ἀλλὰ κρατήσαντα ἐκπίπτει φέροντα ἐμπόδια αὐτοῖς, καὶ καλεῖται τοῦτο κάθαρσις. *Medicamenta, quando ventrem ingressa sunt & diffusa, feruntur per eosdem canales in venas, per quos alimentum.* Quare, si Lactearum Aristoteli constitisset ratio per easdem medicamina deducturus fuerat vias. Nunc, cum Mesaraïcas tantum venas agnoverit fluidi alibilis capaces, in earum se ingerere aditus medicaminum quoque solutiones crędidit. Certè magnus ille Harveus, hodieque Cornelius Consentinus, Aristotelem uterque secuti, nutricii cremoris plurimum in Mesaraïcas abripi venas existimant, vel quòd in Avibus nullum sit Lactearum vestigium, cum sit Mesenterii, aut quòd in Piscium plerisque non sit; quid quòd ex Rajæ intestino manifestissimus videatur in Mesaraïcas aditus: vidisse enim se albo distinctum lacte hepaticum sanguinem, sunt qui gloriantur. Ut hoc non sit, medicamenta tamen, quæ potentiore spiritu acumineque difflantur, reserare facilius aut laxare vasorum membranarumque poros poterunt, seque iis ingerere, quò citius decurrant circulum; nec refert an Cœliacarum osculis an Mesaraïcarum illabantur, invitat enim eadem passim subtilitas: Vomitorii verò acumen Cœliacarum proxime ramis immitti, credibile est, Purgante Mesaraïcarum potius venante latebras. Quod si exterius admota, sive in Emplastro seu Unguento, in

vena-

venarum recipiuntur aditus Purgantia, idque ſolo caloris adjumento, annon in viſcera demiſſa, eodem impulſore ſpiritu, ſed laxitatem quoque oſculorum fovente humido, facilius irrepent ſolutæ partes? Nec objectari debet, quòd, quæ ibi particulæ ſubtiliori fluido per poros adiguntur corporis, hic liquido craſſiori ſolutæ impetu illo careant: eſt enim in minutiſſimâ quâque parte humor, qui vaporantem halitum figat ſolvatque, nec fluidum duntaxat igneum, ſed & aqueum omnes perreptat poros; calor equidem eſt qui in atomos Purgantia dividit, ſed & humor in tenuiſſima quæque differt ſuoque vehiculo per venas circumfert, ſolutionis ſpecie. Deinde & hoc cenſeo, poſſe aliquò humorem penetrare, quò nullus unquam poſſit aër. Sane humidum ex arteriis in venas propelli poſſe, aërem non poſſe oſtendimus. Mercurius ipſe liquidus per utriculorum poros pellitur, quos aër permeare nequit. Utque intra corporis maneamus terminos, bilem, quâ fluidam, ſuam penetraſſe veſiculam vicinumque ventriculum, non ſemel notavimus, quà tamen aërem aut halitum nullâ vi adegeris. Aër ſcilicet ſubtilior eſt &, figuræ reſpectu, ſolidior, quàm ut corporum mutare ſuperficies poroſque poſſit: liquidum contrà repticus, aut, ſi placet, anguillaribus tricis perrepere pororum cincinnos ſuaſque anguſtiis accommodare figuras poterit, eòque magis, ſi ſalino acumine armatum in conniventiora clauſtra urgente Volatili impellitur; bilis enim iſtâ occaſione & acrior erat & volatilior: cujus naturæ cum Purgantia quoque eſſe demonſtraverimus, ambigendum non eſt, quin ducente corporis fluido

ventriculique ſubtili menſtruo in membranarum aut vaſorum adigi poros, invitante ultro ſubtilitate, queant. At, licet humor in corporis ſuperficie deficere videatur, qui Externorum Purgantium diſſolvat atomos, talia tamen accedere Epithematis hiſce ſolent, quæ & laxare corporis poros venarumque pertuſis membranis ſuo deducere vehiculo, liquidi inſtar, Purgantis effluvia poſſint: ut æquè ſit ſolutio, quâ externorum Purgantium atomi cum ſanguine communicantur, quàm quâ accepta in poſu aut bolo purgantia in Lactearum oſcula Meſaraïcarumque inſtillantur aditus. Hic autem, quantumvis ſe integrâ diſputatione & Ariſtoteli & aliis oppoſuerit Eraſtus, rei circumventus difficultate fateri debuit, *partem Pharmaci per venas Meſenterii penetrare aliquouſque, & humores, qui ibi ſunt, incidere, ſeparare, extergere, colliquare; denique à Naturâ repelli ad inteſtina unà cum humoribus colliquatis & exterſis.*

CAP. XXX.

Purgantium effluvia è Lacteis in Venas exponuntur Lymphaticas, è Meſaraicis in Hepar, totumque inde ſanguinem. Purgantia in Lac tranſeunt. Hippocratis teſtimonium. Proſperi Martiani de Nutricis Purgatione & Cichorii ſurculo obſervatio. Epomphaliorum, Epithematum purgantium Atomi perinde atque aliorum; Sphæram univerſi ſanguinis pervolant.

LActearum Meſaraïcarumque oſcilla emenſa Purgantium ſolutio, ad Meſenterii partim glandu-

glandulas, partim Hepatis penetralia proſerpit: in glandularum equidem receſſibus lymphæ conjungitur naturali fluore ad cor feſtinanti, hujuſque deinde ductu in venam axillarem ſanguiniſque euripum infunditur. Sed quæ in Hepar exponitur ſolutio, ea jam protinus fermentare ſanguinem bilioſumque ſecernere περίττωμα poterit, ut neceſſe non ſit plenam obire circulationem, antequam officio fungi incipiat. Hujus autem motus beneficio ubique corporis penetrare purgantia, omneſque emetiri venarum cancellos, hinc conſtare arbitror, quòd extremi habitus tumores, nodique Venerei, & Ictericorum bilis in corporis recepta ambitum, uno ſæpe purgante ad inteſtina revocentur; profectò, effluviorum illâ emiſſione, ſiquidem tractio nulla eſt, eaque in diſtans. Rhabarbarum argumento eſt, in ſanguinem elabi Purgantium atomos, tranſeunt enim in Urinas reſinoſæ ejus particulæ; quod cum ex colore deprehendatur, linguâ non opus eſt judice. Sed & in Mulierum protrahi mammas ipſumque Lac inficere exemplis manifeſtum eſt. Hippocratis eſt in Epidemiis. γυνὴ, αἶξ ἐλατήριον ἢ σίκυον ἄγριον βεβρωκυῖα, κάθαρσις τῷ παιδίῳ. Vertit Cornarius; *Mulier, Capra Elaterium vel Cucumerem ſylveſtrem depaſta, pueris purgatio.* Sed cucumeris Sylveſtris ſuccus dicitur Elaterium: quid ergo disjunctivâ particulâ ſeparare oportuit, quod eſt idem? Itaque non Elaterium ſed Elleborum vertendum eſſe duco, cum ſic ſæpe Hippocrati ἐλατήριον, ut alibi demonſtravimus; tum quod Capræ Elleborum maximè appetant. Lucretius,

Præ-

Præterea nobis Veratrum est acre Venenum;
At Capris adipes & Coturnicibus auget.

Estque hoc etiam Theophrasti testimonium & Melampodis historia vulgata, quòd furentes Pœtidas Caprarum Lacte Veratro vescentium sanaverit. Quod si quis à Chylo hanc accessisse virtutem quàm sanguine malit, ei quidem ultro accedemus, neque enim refert, an à sanguine revehatur, an vero in sanguinem cum Lymphâ transeat. Ut à Chylo proximè repetamus multa persuadent. Prosper Martianus ad librum de Naturâ Pueri, propitio suo Hippocrate variisque ab experientiâ argumentis Lac Chyli esse sobolem ostensurus, sexto & hoc argumento utitur. *Si Lac*, inquit, *ex sanguine generaretur, non à succo è cibis & potibus expresso, impossibile esset odorem ac facultatem ingestorum adhuc retinere, quandoquidem nullus odor aut qualitas manifesta observatur in sanguine.* Quod actutum hac observatione confirmat: *D. Francisca Uxor Magistri Baptistæ de Castellis cæmentarii in urbe assumto medicamento purgante, statim mammam porrexit puellæ aniculæ quam lactabat, existimans tam cito virtutem medicamenti ad mammas pervenire non posse, (nam id à me vetitum fuerat antea) quæ adeo fortiter purgata est, ut de lethali super purgatione dubitaretur: Matri verò ne semel quidem alvus subducta est, signum evidens, medicamentum suctionis violentiâ ad mammas statim raptum fuisse.* Equidem alumni suctio non passa est in sanguinem abire Purgantis effluvia, sed tubulorum reclusione in glandulas evocavit

mam-

mammarias : nam ſi in ſanguinem veniſſet ſolutio, utique mater etiam Purgationis ſenſiſſet fructum, quod cum experta non ſit, à Chylo, non ſanguine, medicata deducenda vis fuit. Hic autem Nutricum compellavimus fidem, quas mirum eſt uno omnes ore ſuctum illum ſenſus teſtimonio aſſerere & obſervare, infantem, ſi protinus, ut aſſumtum eſt à nutrice purgans, uberibus admoveatur ſuctionemque continuet, donec nihil ſuppetat materiæ, certò expurgatum iri nutrice ſalvâ : cæterum, ſi lactationem mediam abrumpat, nonnullaſque partes in nutricis, dividi corpus patiatur, nutricem perinde atque alumnum expurgatum iri, ſed cum hoc diſcrimine, ut citius longè infans purgetur quàm nutrix, nimirum, quo major in nutricis corpore decurrendus eſt circulus, eo tardiùs proditurum medicamen. Verùm quis ſolidiora etiam herbarum ramenta in mammas perventura credat, Cichoriique ſurculum pridie comeſtum, Chirurgi manibus papillâ prolectum fuiſſe apud Martianum? Quæ hic proportio tranſeuntem inter materiam vaſque excipiens? Quis in Lacteas ductumque Chyliferum admiſſum per mammarum adigi poros ſurculum exiſtimet? Sed Lactearum jam ſubtilitatem Meſenteriique fefellerat glandulas, à mammis ergo recipi potuit : nunc verò & Pilos in potu & cibo acceptos ad mammarum evadere latebras Ariſtoteles notarat lib. VII. Hiſt. Animal. cap. XI. τριχίαν affectum vocans. Atqui ego ad uterum quoque ferri pilos opinor, diſſectis enim vaccarum fœtibus plus ſemel meconio involutos reperi, quos ſine dubio proprii corporis ſpolia dilambens mater tranſmiſerat

per

per tot venarum anfractus. Zacutus in Praxi admirandâ pilos setæ & duritie & crassitie per urinam ejectos esse meminit, sed cum, si Renum hoc est negotium; tubuli illi urinarii sive glandulæ sint minutissimæ, setamque negent tentanti, aut aliam esse vivo illo corporis flore constitutionem necesse est, aut ἀπαίδευτον ἐοῦσαν τὴν φύσιν ἀνευρίσκειν ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους, οὐκ ἐκ διανοίας, ut Hippocrates alibi loquitur. Nihil certè impedit, quo minus religiosè de ejusmodi casibus sentiatur; imprimis, si vera est virginis Venetæ historia Alexandro Benedicto, tot inde Viris sanctissimis, Sanctorio & Schenckio repetita. Quis, quæso, in hac luce anatomicâ, acum comatoriam quatuor digitos longam deglutitam, & postquam biennium corpori inhæsisset, cum urinis tandem redditam esse calculoso tofo obsitam intelligat? Si quid meum est hariolari, credo fæminam improbiorem acu naturalia excitasse, quæ lascivis forte manibus & urethræ illapsis osculo excidit, contrahentiumque partium impetu à vesicâ absorta calculosæ tandem accretioni occasionem dedit: mulierem vero pudore ductam cum domesticis tum Medico diversa retulisse, honestoque prætextu nequitiam velasse probabile est, quod eo mihi persuasius, quòd consimilem historiam Patavii à Molineto acceperim. Sed Epomphalia, quæ à Paulo descripta sunt, quomodo ea purgent, nisi dimissis per poros corporis effluviis in venas recipiantur? Quod si recto vibrari radio in intestinorum cavitatem quis sustineat, jam in liquidum inque menstruum coïre necesse est, communique ductu aut Lactearum oscilla aut Mesaraïcarum

petere

petere aditus. Nam ne aliter de Epomphaliis judicemus, & Unguentorum Epithematumque nobis persuadet ratio, illa etenim in sanguinem penetrare transmissis pororum anfractibus vel ad oculum liquet; superstitionem olet, credere manuum versata volâ aut metacarpio applicata, mirifico quodam tractu intra habitus descendere substantiam, & ad ventris cavitatem mesaraicarumque oscula elabi. Hoc tamen necesse est agnoscant stupidi Tractionis Patroni. Apud Erastum exemplum extat Medici Sabaudi, qui quoties Pilam purgantem manu fovebat, toties bellè & tanquam à potione purgabatur. Ejusmodi Pilæ variæ celebrantur descriptiones usu probatæ, sed paucis hodie dubia fortibusque minus conveniens medicina placuit: unum modò novi Medicum, felicissimè etiamnum pilâ suâ utentem; Amstelædami vero Chirurgum quoque, qui inducto volæ manus unguento officiosè purgare suos solet. Arthanitæ unguentum, fateor, ventri inungi solet, hoc autem non ex superstitione aliquâ, sed justâ ratione; nam, cum debile sit laxans, quàm latè & frequenter illini debet, quod in ventre propter superficiei amplitudinem melius quàm in manu aut carpi contractiore sphærâ fiet. Memini ego, cum ad nescio quos tumores viro alicui inter cætera olea Arthanitæ unguentum præscripsissem ad femora inungendum, in venas proserpentibus Purgativis Colocynthidis Taurinique fellis effluviis post varia fastidia alvum fuisse motam. Odores, cum corporeæ sint atomi & excurrentia sapæ ramenta, in pulmonum illapsi recessus humido Arteriæ figuntur, inque solutionem facessunt cum permeante sanguine faci-

le communicandam. Sed & quæ ab imaginatione creditur fieri Purgatio, utut à merâ ſpirituum affectione procedere poſſit, plerunque tamen imminentis medicamenti aut ingratiis conſpecti effluviis imputandum eſſe reor: & ſi aliquando medicamentum ab alio hauſtum ſpectatori faſtidium incuſſit, & ex faſtidio alvum, potore nihil tale ſentiente, equidem ab humorum proclivitate deducendum fuit, aut copioſa maximè aut quantumvis exigua effluvia non ferentium. Retulit mihi Medicus aliquis, ſe obſervaſſe mulierem, quæ cum ſub eâdem veſte aut ſtrato cubaret cum aliâ & ſociâ muliere, ante quietem purgante usâ, ipſam ſobriam omniſque medicaminis expertem aliquoties de nocte purgatam fuiſſe; manifeſto argumento effluviorum aliquam vim eſſe, ſilente noctu omni affectu animique dolore. Sed quaſi hoc nihil eſſet, ad experimenta cito: quis credat, infuſam venis Purgantium ſolutionem ad ventriculi inteſtinorumque cavitates relabi, humorumque ad ſe vocare rivos, tranſmiſſo impune ſanguine? aut quis ab alvo fæcem exſpectet trahente in venis medicamento? à cutis tum demum oſculis ſalutanda fuit primoque à limine. Sed ſeriò loquor, quando infuſa in Canis venam medicamenta validiſſimè alvum ducunt, nuperque Fabricius ille Gedanenſis circumſpecto auſu & hominem tolerare poſſe Purgantium infuſoriam oſtendit, conclamatoſque dudum mortales unâ Purgantis in Medianam infuſione reſtituit, in fraudem Æſculapii. Verùm jam antè apud Anglos hoc experimentum increbuerat; veſicam purgante ſolutione implent, ejuſque cervici Siphonem accommo-

commodant æneum, quem, ut aperta eſt alibi vena, dextrè intrudunt veſicæque compreſſione liquorem tractim inſtillant; hinc ſequitur intra horæ ſpatium purgatio, cunctante aliàs in ventre medicamento. Ut hinc conjici poſſit, quantum requiratur temporis ad Purgantium in hiris ſolutionem, quantum deinde ad tardos ſucceſſivoſque in venarum oſcula motus. Concedendum itaque eſt in ſanguinem abire Purgantia particulatimque diffundi.

Cap. XXXI.

Per omnes ſanguinis partes dividuntur effluvia, & vel ex minimá mole unoque grano redundat, quod toti ſanguini inficiendo ſatis eſt. Exemplum ſolutionis granorum Kermes. Mercurii ſublimati auſteritas, Colocynthidis amaror immenſam laticem ſapore inquinant ſuo.

Sed hic aurem vellis, quòd quæ tam exiguo ſæpe momento propinantur medicamenta, ea in ſanguinem inque maſſam deinde totam abire contendam; παράδοξον certè eſt in re minutâ magnum Fallopioque notatum, qui ipſo in libri ſui limine ait. *Nihil mihi videtur admirabilius in medicamentis purgantibus, quàm hoc quod ſi minima alicujus, puta Scammonii, portio alicui exhibeatur, tantam copiam alicujus humoris, id eſt, bilis educat, idque tam citò & tam violentè.* Imo non Portio tantum Fallopi, ſed & Grani ſubinde dimidium. Ex Metallis ipſoque Antimonio concinnari unius grani purgans poteſt; è vegetabilibus an effectum ſit dubito. Memini Foſſium mihi meum narrare,

ſe Venetiis unius grani purgans vidiſſe vegetabilibus prolectum Empirici ingenio. In his itaque non mediocriter offendit ficta illa & fuſa Purgantium ſolutio, nam cum per contactum agere Effluvia illa ſupponam, equidem inextricabile videri, quomodo tantillum ſucci in tam vaſtum diffundatur ſpatium, idque ſolutione. Certè ſi ratio ineatur proportionis, unius grani ſphæram plus centies millies fieri ſe ipsâ majorem, neceſſe eſt. Aëris tractu multa, etiam minutiſſima, quàm late differri notamus. Moſchi granum longiſſime fumat per ſe, Thuris manna accenſa in infinitum abit. Pulveris pyrii granum ignis diſtentum violentiâ ex ratione Mathematicâ ſpatium occupat centies & vicies millies majus. Nec tamen ſic ego in minutiſſimas diſruptum eſſe atomos crediderim, ut in alias minores dividi non poſſit; ſolidæ enim ſatis particulæ ab ignis intactæ violentiâ in eâdem ſphærâ gyrantur, quas ſi in liquore ſolveris etiam latius excurrent, inque multo minores particulas differentur. Ut hinc appareat, in quorum miſturam ſalis coivere ramenta, ea per aquam, ſolutionis ſpecie, latius diffundi quàm per aërem in halitu: ſola enim aqua eſt, quæ rite diſſolvere ſalis elementum queat. Sed experimentum adducam, quod demonſtret tantillum Sapæ in tantum ſe liquidi oceanum particulatim infundere poſſe. Robertus Boyle in Colorum examine de momenti exigui tincturâ. *Unum granum Kermes*, inquit, *diſſolutum in mediocri quantitate ſpiritus Urinæ in aquam limpidam gradatim infuſum, ſenſibiliter colorem impertiebat ſex circiter vitris aquâ repletis, quorum quodlibet duas pintas & tres circiter unciaſ*

uncias capiebat. Quod ſane unius grani pondus centies & vicies quinquies millies, & quod excurrit, multiplicat. Unde manifeſtum eſt etiam latius per aquarum ſpatia extenſum granum Kermes fuiſſe, quàm pulveris pyrii granum per aërem diſtinebatur. Unicum Mercurii ſublimati corroſivi granum, quis credat! etiam heminas aliquot aquarum auſteritate ſuâ venenare poteſt. Reſinæ Colocynthidis momentum immenſum liquoris ſpatium contaminare effluviis ſuis ſolet: quid quod vel ſolo contactu, ne mutatâ quidem ſuperficie aut pondere imminuto, amaritudinem fundat. Sed notandum eſt, quo volatile iſthoc, quod ſapâ contineri diximus, & copioſius & arctius cæteris principiis innectitur, eo vim hanc diffundendi ſe majorem eſſe, partemque vehementiæ hinc repetendam. Sint igitur viginti quinque aut triginta ſanguinis libræ in corpore, quis non exiſtimet, tribus eum aut ſummum quatuor granis infici poſſe, vel etiam, ſi virtus compreſſior eſt, uno, cum viginti liquoris libras granum Kermes infecerit. At, quemadmodum ad faciliorem minimorum diſſolutionem in aquâ, Urinæ primùm ſpiritu tentare grani diviſionem oportuit; ita cenſendum eſt Purgantium effluvia vini antè ſpiritu, ceu proprio reſinæ menſtruo, ſubacta, mox volatili ventriculi acumine lymphâque Meſaraïcâ ſoluta, quaſi per totidem præparationes, ſanguinis fluido melius accommodari latiuſque diffundi. Nec dubitari debet, quò qualitatis ſuæ notam transferunt Purgantia, eò etiam agendi produci vires; qualitatem vero intelligo, non ἀσώματον ſed in ſubſtantiâ. Vid. Cap. vi. Quod ſi hæc admo-

admodum ratio ſuſpecta eſt, aliquas duntaxat ſanguinis partes inficiat ſolutio, quæ, cum circulatione per omnes ſeſe exporrigant rivos, eodem certe contagio vicina quæque fermenti inſtar corripient, &, quò fermenti hujus impreſſio potentior erit, citius latiuſque. Hoc autem facilius locum in ſanguine invenire poterit mutua infectio, quo motu illo, cum inteſtino tum externo & circulationis, ſæpius ſibi invicem impingunt humorum particulæ. D. Pauli eſt, cum alibi, tum quinto prioris ad Corinthios. οὐκ οἴδατε, ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. Ut fere idem ſit humorum fatum, quod ajunt Mercurii eſſe aut Saturni ad lapides philoſophici miſturam: cujus licet omnia non reſpondeant votis, hoc ſaltem omnium confeſſione verum eſt, ingentem Mercurii vim unius grani acceſſu vel in aurum verti aut ἀνάλογόν τι: de quo miraculo unum audio Helmontium in ſuâ Theſeos demonſtratione. *Facto igitur computo*, dicit, *granum iſtius pulveris Chryſopæi convertit* 19200 *grana impuri & volatilis metalli per ignem delebilis in verum aurum.* At cum hoc non omnium ſapiat palato, neque ſe per Butleri fidem probare Helmontius potuerit, vulgatioribus perſuaſi experimentis, infectam unam ſanguinis partem aliam eâdem contagionis labe ſerpendo inficere, & ad ſeparationem diſponere credimus.

CAP. XXXII.

Quænam ſit mutatio, quam ſanguinis partibus inferant Purgantia, deducitur, tam ex Elementorum ſapæ ingenio quàm totius, craſi. Quatenus Volatile quid ſubeſt & Oleoſum, ſanguinem inflant & rarefaciunt, ὀργᾶν quid Hippocrati. Quatenus Acre, attenuant, & incidunt: ſed quatenus miſturam faciunt inque Sapam coëunt, fermentant præcipitantque; formale Purgationis. Omnia hæc ad veri ſeu validioris Purgantis eſſentiam pertinere.

PEr univerſum nunc ſanguinem ſingulaſque ejus partes deducta Purgantium effluvia, ſecundum ea neceſſariò elementa eamque miſturæ craſim agere debent, quibus ex naturâ conſtant; corporali enim modo, non mimico aut imaginario, agere longâ jam diſputatione confectum eſt. Sed ut Elementa, ex quibus conſtant, varia ſunt ſuiſque ſingula pollent viribus, ita effectus ſuis conciliare cauſis communiſque miſturæ actionem oſtendere oportet. Demonſtratum ſuprà eſt oleoſi, Volatilis & Acris eſſe in ſapa partes; ergo & à propriis ſingulorum viribus, & ab omnium in ſe coëuntium craſi Purgationis repetendum formale. τὸ πολύχοον, certum eſſe Oleoſi accidens ex Cap. v. manifeſtum eſt, ſed nihil diffundi à centro, niſi moliente hoc ſubtiliori fluido, poteſt, hoc Volatile dicebamus: cum ergo horum elementorum reſpectu, Volatilis, ut cauſæ agentis, Oleoſi, ut ſubjecti paſſivi, in latiorem circulum enitantur Purgantium particulæ, ejuſdem quoque cauſæ im-

impetu ambiens fluidum, id eſt, ſanguinem ebullire ἢ μετεωρίζεσθαι neceſſe eſt. Argumento ſunt, ſubiens venarum tumor, anxietas, & ſuſpenſo pulſu deliquium. Cæterum ut Purgantia ſæpe eaque lenitiva, propriæ ſubſtantiæ & ſenſibilis fluidi interceſſu ſanguinem inflant, ſphæramque ejus mirificè extendunt: ita vehementium pleraque potentiali duntaxat modo, id eſt, ſubtiliſſimi fluidi acceſſu ſanguinem univerſum rarefaciunt. Aquæ Thermales & medicatæ cum in Italiâ tum Germaniâ frequenter pro lenitivis uſurpantur, & in Patavino tractu B. Virginis aqua omnibus promiſcuè febribus & ſine modo offertur: hæc copioſius ingeſta, corporis neglecto temperamento, ſubſiſtere aliquando in venis ſolet aquoſumque æmulari tumorem, qui niſi Elaterii, id eſt, veri purgantis aliquot granis maturè repellatur, in Oedematoſam ſæpe tranſit aqualiculi extenſionem. Rarus erat & fauſtus eventus, quem experiebatur Nobilis quidam de gente Corneliâ, qui, cum nimium indulgendo intempeſtivis hauſtibus ab aquarum diluvio liberari non poſſet, jamque aliquot ſeptimanas ſaburram in venis traheret nullis medicamentis aut impetu naturali prodeuntem, defectâ etiam urinâ, mirabili tandem Criſi reddere per urinam eandem & numero & pondere aquam, cœpit, fugiente actutum tumore. Sed alius eſt tumor & reverâ ὑπλώεμιος, quem fortiora inferunt Purgantia, non tam ſubſtantiæ ſuæ interceſſu, quam potentiæ vi, nimirum, rarefactionis motu, vocato intra diſtenta ſanguinis ſpatia ſubtili elemento. Quippe ſi validioris reſinæ momentum, ſive Elaterii ſeu Colocynthidis, τῷ μὴ καθαρῷ σώματι propinaveris; quòd aut viſci-

di

di in venis dominentur humores, vel nulla admodum præparatio ad fluxum reddiderit proclives, rarefacere duntaxat tenaciores tricas subtilique acumine impetere, sed, ob pertinacem viscidi cum salino utroque connexum, præcipitare dividereque non poterit; nam, dum eodem incidendi resistendique æquilibrio invicem moventur, venarum modò tumor & flatuosa resurgit anxietas & dubia tandem purgatio, debita enim secretio facta non est, sed ὄγκος tantum ἐμπνευμάτωσις, quam cum à solidâ momenti substantiâ deducere non possis, aliunde & à subtili Elemento, necesse est repetas. Anum vidi recoctam, quæ, cum acceptum validius purgans intempestivo frigidæ haustu comitata esset, tantis inde doloribus tamque ventoso venarum tumore correpta est, ut veneno ruptam vicini crederent, sed ipsa ad se rediens naturæque beneficio liberata, vehementissimi Purgantis haustum ultro agnovit. Juveni Melancholico, cui croci Metallici grana aliquot inconsulta manus porrexerat, intra duas horas & venter & venæ valde intumuerunt, nullo subsequente propter viarum obstacula, vomitu aut secessu, sed, quod mirandum erat, nullo dolore. Alvus itaque Clystere provocata & tumore venas intestinaque pondere absolvit. Hæc humorum rarefactio propria est validioribus purgantibus & Naturæ æmula, quæ, cum ad proximam purgationem sanguinem disponat, consimili rarefactione sanguinisque utitur orgasmo: ὀργᾶν enim humorum est proprium purgationi proximè imminentium, quod ut naturali impetui Hippocrates applicarit, quid impedit, quo minus hoc artificiali naturamque imitanti purgationi ac-

commodemus. Scio multum esse in definiendo significatu τῦ ὀργᾷν Fallopium, occasione Aphorismi XXII. Sect. I. Ubi Hippocrates. πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ, μηδ' ἐν ἀρχῇσι, ἢν μὴ ὀργᾷ, τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ. Hic enim Leoniceni interpretamento insistens vertit, *nisi turgeat*, Hellenismi adeo & sui oblitus; nihil quippe protritius apud Grammaticos, quàm neutris Plurativis singularia verba conjungi. Sed hoc non decuit Fallopium, dum magno negotio de parte adstructum iret, quod de humoribus Hippocrates intellexit. Nimirum Enallagen quæsivit, ubi simplici & naturali nominis significatui concedendum fuit: solere sic Græcos non negaverim, ζύμωσις enim ἥπατος, φύματα ὀργῶντα eâdem figurâ & secundum quid apud nostrum sæpe Hippocratem; sed neque hic aut loci sensus aut accedentis Galeni patitur testimonium de parte intelligi, quod de humoribus debet. Et qui intelligas, quam ad separationem præcipitationemque hoc opus sit orgasmo seu ventosâ rarefactione, Galeni referam locum; is Comm. 2. in Lib. 6. Epid. inquit, ἐπὶ γὰρ τῶν ἑτοιμοτάτων εἰς ἔκκρισιν ἐπειγομένων τε πρὸς κένωσιν ὑγρῶν, ἐνταῦθα τε καὶ κατ' ἄλλους ἀφορισμοὺς φαίνεται χρώμενος τῇ ὀργᾷν φωνῇ. *Etenim in paratissimis ad excretionem & ad evacuationem properantibus humoribus, cum hic tum aliis aphorismis* ὀργᾷν *voce usus esse videtur.* Et cum in omnibus Naturam ludat Ars, utique ejus exemplo purgationem quamlibet debet antecedere orgasmus. Hic autem est orgasmus, quem medicamenta cum intestino tum sanguinis inflata fluido, in humorum inferunt poros, & ad secretionem usque evacuationemque continuant.

tinuaut. Eſt itaque hic Volatilis oleoſique uſus, cui Acris etiam ſalinæque partis ſuccenturiatur molitio; fieri enim non poteſt, quin eodem volatilis oleoſique excurſu juncta ſalis acumina in ſanguinis impellantur fibras, viſcidioreſque tricas & præcipitationi contrarias diſſolvant : τὸ γὰρ δριμὺ διαχέει τε τέμνει καὶ λεπτύνει, εἴπου τι παχὺ καὶ γλίσχρον ὑπεὸν ᾖ. Ut alibi notavimus. Certe duplex erit hujuſce attenuationis beneficium, nam & humores faciles reddet & impetuoſos, & venarum hoc ipſo aditus laxiores. Humorum eſt viſciditas & lentor, quæ orgaſmo illi volatiliſque & oleoſi conatui ſe opponunt; huic malo ut remedium quæratur, Acre acceſſit rigidumque ſalis principium; hoc cohærentes tricas expedit, ſalinumque bilis acumen longâ viſciditate ſuppreſſum evocat. Utraque deinde mutuo adjuta conjugio, quicquid eſt in maſsâ glutinoſi, à ſe divellunt, perque fluidioris ſeri ſpatia facilè dividunt, quippe in quo ſalium acumina fluctuent : ut mirum non ſit, quæ antè ob impotentiam diſſolvere ſerum non poterat, ea nunc acuminis ſociati reſpectu in multo minora dividat ramenta, ſuoque tandem flumine abripiat. Jam ſi obſtinata nimis viſciditas ſalem purgativum retuderit, medicamentique adeo & maſſæ orgaſmum impediverit, purgatio exſpectanda non erit, ſed pro majore minoreve molimine, præparatio tantùm; ne nocere amplius quis credat, ſi à deſtinatâ purgatione deficiant medicamenta : ergo ne Purgantia Medicorum ægrorumve exſpectationem fallerent, longo præparantium, id eſt, acrium incidentium, uſu, haſce veri Purgantis partes anteʹ

ver-

verterunt. Jactat ſuos Italia ſyrupos præparan-
tes, & ante Purgantis uſum copiosè ingurgitat,
Purgantis dico, non veri aut Electivi, ſed mi-
tioris & Lenitivi : præparatus enim jam hu-
mor non attenuatione, ſed orgaſmo duntaxat
fermentanteque medicamento opus habet, ſolâ
ergo Caſſiâ aut Mannâ. Nihil autem ego
cenſeo adeo præparatione, etiam ante veri pur-
gantis uſum, indigere quam acidi humoris a-
bundantiam, cum enim Purgativo ſali naturâ
adverſetur eumque figat, puris primum ſalibus,
fixis aut volatilibus, conficiendum ejus acu-
men eſt, quò ſic in ſalis muriatici ſpeciem
tranſeat, debitamque aliàs Purgantium ſali of-
fenſam in præparante ponat. Sed cum Aci-
dum hoc quoque faciat, ut ſanguinis fibræ ſe-
ro diluendæ arctius coëant, unitoque glutine
ſalis Purgativi molitioni obnitantur, jam antè
divellendæ ſunt hæ tricæ diluendumque aci-
dum, ſive Ptiſanâ ſeu juſculis in Galliâ tam
vulgatis. Quin licet expurgari vehementiſſimo
tandem medicamine acidum poſſit, dum tamen
acumine ſuo meatuum fibras percellit infeſtam-
que reddit Purgationem, vel hoc nomine ad
temperiem reduci prius neceſſe eſt. Nunc hu-
midi quoque in venis defectus in febribus ar-
dentibus præparationem in ſe convertit, liqui-
dique frequentato uſu compenſari ſolet : ni-
mirum, hoc vehiculo & diſſolvi Purgantis reſi-
na facilius inque venas dividi, & Purgationis
tandem materia ad ſua deduci viſcera poterit.
Hoc nomine ante Ellebori potionem τȣ̀ς δυσ-
εμέτȣς προϋγραίνειν δεῖ, dictante Aphoriſmo XIII.
Sect. IV. Cum verò, quæ præparantur omnia,
hac duntaxat lege præparentur, ut ordinarias
eme-

emetiri excretionis vias poſſint, neſcio quid adeo venarum anoſtomoſis ſollicitum habuerit Galenum, & præparationis eſſe partem dixerit. Satis eſt, humores pororum accommodari anfractibus, & prout vel Hepatis tranſmittunt aditus aut Pancreatis, ita ad Bilioſi Pancreaticive ſucci qualitatem ſubſtantiæque modum reduci; à fluidi enim contenti ingenio, non fibrâ motrice, pororum pendet conſtrictio aut laxitas. Attenuatione ergo iſtâ & liquatione humorum per Reſinæ ſalem pororum quoque recludūntur oſcula, Lenitiviſque deſtinata functio ab Electivè Purgantibus, ut ſic loquar, quàm feliciter perficitur: ſi enim vel copioſas præparationes aſpernentur ægri, aut Medici refugiat animus per plura patrare, quod per pauciora fieri poſſit, ſolido Purgante præparantium implere partes, &, quod longo alias apparatu fit, uno obtutu σῶμα reddere ἔυεργον optimo jure licitum eſt. Nec eſt, ut τὸ ἔυεργον hic in ſuſpicionem veniat, quaſi ad ſolidum hoc ſpectaret non fluidum: imo verò ἔυεργοι tantum ſunt humores, ipſæque venæ aut corpus figuratè & ſecundum quid ἔυεργα. In libro de Geniturâ ἔυεργα φλέβια, impropriè, pro laxis ſeminiſque fervore diſtentis ſpermaticorum capreolis. ἰυρό rectè & propriè appelles ſolidum excreſcens. ἔυεργον, fluidum tantùm terminiſque ſolidi deſcriptum humorem. Sed cum venæ omnes & meatus corporis modum figuramque à contento fluido accipiant, fruſtra quis in Anaſtomoſi illâ ſolidique figuratione laboret, quippe quæ fluidi contenti motum, rarefactionem condenſationemque, ultro ſequatur. Ut ne amplius exiſtimare pergas, ab alio, quam

fluidi

fluidi motu, corporis deducendam eſſe ἐνέργειαν, quam cum ſalis purgativi acumina volatili impulſa fluido impertiri humoribus poſſint, vaſa hoc ipſo vaſorumque oſcilla laxari neceſſe eſt, figuramque accipere à fluido ἐνεργῷ εὐρμῷ. Ut hinc appareat à vero Purgante & humores incidi, & pororum, ſiqua eſt, anaſtomoſin procurari poſſe. Hæc itaque ſunt, quæ à ſingulis pro ſe partibus expectari debent; nunc conſiderandum, quid juncta invicem principia totiuſque craſis involvant; in hoc equidem Purgationis eſſe formale vel ex deſtillatione conſtat. Scilicet, orgaſmus ille nihil eſſet, nihil attenuatio, niſi ad ſecretionem quoque humores contenderent: hanc vero quid aliud tam promovere, quàm fermentationis motus poterit? cui tum ipſa humorum ratio, tum Purgantium miſtura pulcrè reſpondet. Sanè, vix quiſquam eſt, qui animo comprehendere poſſit, quemadmodum unà & ſimplici colatione, eâque ex figuræ modo, ſecedere ſinguli à ſanguine humores poſſint, adeo arcto ſibi conjugio fluidum hoc devincitur, quippe quod multifariis conflatum elementis totidemque diſtinctum ſaporibus, ne unius quidem indicium in maſsâ circumferat: horum nihil, niſi fermentatione interveniente, ſequeſtrari poſſe videtur; quare inſtillatum eſſe glandularum receſſibus peculiare fermentum audacter ſuſtinent. Sed cum Purgantia, naturæ quadam æmulatione humores etiam ſequeſtrent, viſcerumque accommodent poris, annon fermenti inſtar habere neceſſe eſt, cum, aliâ vel excogitatiſſima ratione, ſecretionis intelligi forma nequeat. Verum ſicut iſthoc fermenti genus ſingulis

gulis visceribus peculiare est, ita hoc artificiale unum esse inque venis agere probabile est, sed eo majore molitione, quo copiosius subitiusque humores sunt provocandi. At ipsa quoque Purgantium resina argumento est, fermentationem, ζύμωσιν, inferri universæ massæ, nam cum variis constet & ramosis & rigidis elementorum ramentis fluidoque volatili perfundatur, suopte certè impetu ad fermentationem contendet. Si resinam calidâ maceraveris, defunctâ jam fermentatione, nihil est quod inde in sanguine exspectes turbarum. Habet se musteæ Sapæ instar, quæ in solidam decocta offam, necdum expeditum fermentatione spiritum arctissimè fovet & diutissime; cæterum si aquâ diluatur, fermentationem potenter renovat, inclusumque volatile, intestini motus præcipuam causam excludit; quo ipso non tumultum in sanguine, quippe quem fervore isto deposuit, sed modestam faciet partium suarum accessionem : Sapa autem necesse est turbet sanguinem & fermenti instar præcipitet, non aliter atque exoleti vini cyathus ad musti instillatam portionem despumare & fermentari solet, manifesto ad oculum æstu. Confirmant hoc quoque funestæ Diarrhœæ intempestivos musti haustus consequentes. Purgantium, Elaterii, Euphorbii, aliorumque sapa ex omnibus coaluit plantæ principiis, humido aut evaporato aut decocto; hæc denuo sapa humidi accessu ceu mustum effervescit, sanguinique eandem fermentationis notam imprimit, quam Vini sapa imprimebat, sed multò hoc potentius certiusque; quoniam volatile intus conceptum, sive ob subtilitatem seu aliam causam, validius eni-

enititur, & ſalis admiſti acumen fortius penetrat: ut gradualis differentiæ forma à Volatilis Acriſque varietate proximè dependeat, & cum una omnium ſit & communis fermentatio, ſpecifica quærenda non ſit. Sed ut omnis Fermentationis finis eſt ſecretio partiumque miſcellanearum divortia, ita mirum non eſt, hunc quoque orgaſmum ſecretionem conſequi, quæ omnem utique excretionem antecedere ſolet. Equidem volatilis ſanguinis particulæ Salis & Acidi aliarumque partium ſuppreſſæ conjugio, novo Volatilis purgantis acceſſu ſociatæ vim indipiſcuntur majorem incumbenteſque fluidi tricas validè diſſolvunt. Hanc deinde ἔκλυξιν fermentationemque alienæ ſeu Cacochymicæ portionis comitatur ſecretio, &, uti muſtum à turbulento æſtu ſalinas præcipitat oleoſaſque & omnigenas partes in Tartaro, ita hic etiam aut ſalſi ſecedunt, ἀφίςανται, aut acidi recrementa; ſalſum autem ob convenientiam particulis ſe induit oleoſis, idque Bilem vocant, quæ ab Hepaticis poſtea glandulis hauſta in illam humoris ſpeciem tranſit, quâ alvo excernitur. Acidum verò cum Purgantis tum contrariæ Bilis confectum acumine in muriaticam vertitur temperiem, ſeroque elotum ad ordinarios aquæ ductus propellitur. Viſcoſior pituita iiſdem ſalis ſpiculis attenuata inque ſerum reducta, communibus liquidi clauſtris eructari poteſt, ſiquidem in modo ſubſtantiæ conveniunt. Sed notandum venit, inter fermenti fluidique fermentandi partes identitatem quandam eſſe debere, cujus potiſſimum beneficio ſe invicem appetant & coaleſcant; itaque Bilioſum eſſe principium in maſsâ, cui illico ſe ſocient ſapæ

pur-

purgativæ ramenta, cujuſque, utpote congeneris miſti, auſpiciis reliquis humoribus inſultent divortiemque moliantur: verum quo bilioſi hujuſce recrementi minus eſt in maſsâ aut magis opprimitur, eo ſæviore medicamento & majore labore opus eſt; quod ſi autem ejus plurimum eſt, idque fluxum & mobile, irritamento tantùm opus eſt Volatiliſque levioris acceſſu; ſubitò enim & vel à minimo ſæpe objecto, rore matutino, pluvio cœlo, fructibuſque horæis in fermentationem erumpit purgativam, & ſymptomaticam aliquando, ut in Cholerâ apparet & Diarrhœâ Caſtrenſi. At ſi adeo quoque bilioſum iſthoc exundat & ὀργᾷ, ut per ſe verſare maſſam & præcipitare queat, ſive cœli hoc ſeu alimentorum conferat temperies, critica oritur & naturalis purgatio. Quod vero, niſi longo tempore & paulatinâ mutatione, cœlum aut alimenta non præſtant, id momento, id duabus aut tribus horis effectum dant Purgantia, quia potens & validum in ſe continent movendi principium; cujus actionem pro Bilis ad recipiendum oportunitate vehementiorem eſſe aut leniorem neceſſe eſt. Hoc autem, quod nos humoribus & manifeſto fermentationis motui imputamus, in ſolam Naturam, in ens rejicit imaginarium Auctor libri de Renum affectibus, neque enim ſe ipſe aut alii explicant. ἡ φύσις γὰρ κεντρωθεῖσα παρὰ τοῦ καθαρσίου, χρῆται τῇ διακριτικῇ δυνάμει, καὶ διακρίνει ἀπὸ τῶν ἀχρήστων τὰ χρηστὰ, καὶ τὰ μὲν χρηστὰ κατέχει ἡ καθεκτικὴ δύναμις, τὰ δὲ ἄχρηστα ἀποτρίβεται ἡ ἀποκριτική. Egregiam verò & ſubtilem facultatem. *Separatrix ſeparat, retinet retentrix, excretrix excernit.* Nullius exempli hic aut phænomeni compellata fides,

R ſed

ſed eodem frigore explicatum negotium, quo inceptum erat. Ab arte & omnibus paſſim circumſtantiis mutuanda fuere teſtimonia, & incerta per ſe ratio experimento ſolidanda; quod cum à nemine hactenus factum fuerit, faciundum id nobis fuit. Fermentationem itaque hanc exemplis declaravimus, &, quæ eam ſequitur ſecretio, etiam magis explicatum imus. Secreta, κεκριμένα, motu illo turbata circulantis etiamnum maſſæ continentur ſphærâ, & fluido ſubacta à viſceribus demum ſuis hauriuntur, Bilioſa ab Hepate, Seroſa à Pancreate, aliiſque longo ordine ductibus: ut tamen conſtaret jam in venis factam fuiſſe ſecretionem, ſanguinemque coagulo ſolutum, venæ ſectionem in ægris nonnullis ex alvi fluxu laborantibus inſtitui; certe in longè plures & ſinceriores diſcedere partes miſſus ſanguis videbatur, quàm in aliis; &, quod bilioſi iſtius recrementi argumentum erat, ſummam & maximam partem lutea plerunque pinguedo occupabat, bilis ſapore imbuta. Quod an in illis quoque obtingat, qui medicamento purgantur, nondum experiri licuit. Sanè deſeruiſſe ſtationem & κατὰ σύγχυσιν commiſſos errare humores probabile eſt, formamque proprii humoris à vernaculo fermento in ſingulis demum viſceribus accipere. Nimirum, ea jam inducta eſt in ſanguinem mutatio, ut plus ejus in viſcera redundare promtiuſque ſecerni queat. Verùm Pulſus quoque indicio eſt, ſanguinem in ſecretione illâ, & potenter, affici; qui enim modò preſſius feriebat, nunc animoſior, tanquam pro vario partium affluxu, ardentius vibrat, qui deinde, aut fluxo nimis aut coagu-

lato

lato appellente ſanguine, intermittit etiam ſuccedente aliquando deliquio. Ut exiſtimem, non aliam tum eſſe ſanguinis conſtitutionem, quàm Lactis coloſtrati, ubi pars in grumos concrevit, pars in Serum liquata eſt: id quod olfeciſſe Fallopius viſus eſt, is enim cap. 2. *Humoris*, ait, *ſeparatio incipit fieri adventante Pharmaco purgante, quoniam Pharmacum habet veluti facultatem coaguli aut aceti, ſeparandi Lac à ſero, qua facultate fit, ut humor ſeparetur ab aliis & disjungatur à maſsâ, ſtatim cum humor eſt ſejunctus & inhæſerit parti alicui, natura ſtimulata tentat expulſionem ipſius.* In infantibus aliquot acido Hypochondriaco vexatis Lac coloſtro ſuo turbare ſanguinem ſolet & ad ſecretionem diſponere. Virum memini aliquem, ſolo Lacte, tanquam graviſſimo Cathartico, uti. Spiritus certè etiam Lacti ſubeſt ταρακτικὸς, quem Tartari evocare fermentatione docent. Quamvis autem, ut certior hujus ſecretionis fierem, ſanguini calenti jam Jalappæ ſolutionem, nunc Antimonii affuderim, non tamen votis eventus reſpondit; equidem plus minus turbare in digeſtione videbantur, ſed plenam exſpectatamque ſeparationem luſtrare oculis non potui. Sed priora argumenta ipſaque ratio ſatis affirmant, ſecretione opus eſſe ante excretionem, ſecretio autem iſta fermentatione aut efferveſcentiâ, altertro ſaltem modo, fiat neceſſe eſt. Fermentationem ex cauſæ efficientis, Sapæ purgativæ, & ſubjecti paſſivi, Sanguinis, naturâ deduximus, promovente eam ſerio admiſti Salis acumine. Quæ cum omnia ad Veri aut Electivè purgantis eſſentiam pertineant, τὸ attenuare,

inquam, fermentare & ſecernere, oportet plurima, quæ unâ tantùm ejuſmodi parte conſtant & purgant, Lenitiva eſſe, aut quia ex occaſione agunt, per accidens Purgantia.

CAP. XXXIII.

Lenitiva, quæ uno fere principio, unâque veri purgantis parte funguntur, vel copioſo perfunduntur Volatili, & fermentant, ut Caſſia, Manna, Tamarindi, Muſtum, fructus horæi, &c. aut Acri gaudent potentiore, & attenuant, ut Salia lixiva Fixa, Volatilia, Muriatica: vel denique Oleoſo ſcatent, & emolliunt viarumque aſperitates tollunt, ut Oleum Olivarum, Amygdalinum, &c. Sed & alia ſunt, quæ pro objecti modo alvum aliquando detrahunt, ſuntque proindè per accidens Purgantia: ut Aquea, Terrea, Auſtera, Naturâ ſua Purgationi contraria.

AFfectiones, quas omnes in Electivè purgantis eſſentiam ingredi neceſſarium eſt, in Lenitivis ex parte tantùm & ſigillatim ſpectandæ ſunt. Vel enim fermentant ſolùm, aut attenuant, vel denique emolliunt. Sed alia quoque fortuitò tantùm & per accidens alvum ſubducere ſolent, ſive eluendo, ſeu aliud conferendo, ex occaſione materiæ. Quæ Fermentant, & hoc uno veri Purgantis ſimulant naturam, Volatili pleraque abundant principio: ſed ſuâ debitâque compede devincto, quæ cum accedentis humidi deliquio diſſolvitur, ſpiritusque incluſus molientis calidi niſum perſentiſcit (nam calor ad fermentationem requiritur,) ebullire

bullire maſſam, & non ſine æſtu emancipari volatile neceſſe eſt: calore quippe inſtante facile in auras propellitur, ſpirituſque nomine à Chemicis excipitur. Hoc defuncto motu, fluctuanteque in liquoris ſuperficie ſpiritu, nec fermentari amplius nec turbare alvum poteſt; Exemplo eſt Muſtum, hoc dum effervefcit aut effervefcendi potentiam habet in Sapâ, quod nimirum cum ſuâ adhuc compede luctetur volatile, fermentat valide & alvum ſubducit. Fuiſſe hæc quoque Hippocratis ſententia videtur, quando lib. II. de Diætâ, γλεῦκος, inquit, φυσᾷ καὶ ὑπάγει, καὶ ἐκταράσσεται καὶ διαχωρέει. φυσᾷ μὲν ὅτι θερμαίνει, ὑπάγει μὲν ἐκ τοῦ σώματος, ὅτι καθαίρει, ταράσσει δὲ ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ καὶ οὕτω διαχωρέει. *Muſtum turbat ferveſcens in ventre & ſic decedit.* Viva certè fermentationis argumenta καὶ τὸ φυσᾷν καὶ ταράσσειν Vinum autem, in quo nullus amplius eſt Volatilis niſus, utpote liberè fluctuantis, non purgat aut inflat ventrem, ſed firmat potius ſpirituumque acceſſu roborat. Quod autem non ſemper à Muſto quoque purgatio procedat, ſignum evidens eſt, maſſæ antè requiri diſpoſitionem facilemque εὐεργίαν, ad obſtinatam enim humorum unionem ſolo Lenitivo vix quidquam impetraveris. Imo vel Ros, qui ejuſmodi ſpiritu ταρακτικοῦ abundat, alvum ducere imbecillioribus ſolet. Hoc experiuntur, qui matutini ambulant pluentemque rorem cum animâ recipiunt; nam, ut aſperæ arteriæ humido pulmonumque ſanguini eſt illatus, fermentare incipit, & dividere miſturam. Ipſæ quoque Roſæ matutino madentes rore, multo jam valentius purgant, & infuſio earum, ſi cum rore conficiatur Majali, ut

ut Patavini faciunt, longè eſt merâ illâ & aquoſâ efficacior, advertente hoc etiam Sepialio ſuis in Animadverſionibus. Ruſticana in Lombardiâ plebs uvâ veſci ſolet nocturno delibutâ rore, *Bezaganam* vocant, & quæ de die & ſicca non purgat, ea nunc rorida validiſſime alvum ſolvit & δυσφόρως, propter multam cruditatem. Hic idem eſt Roris ſpiritus, qui fructibus omnibus horæis & Mannæ tum Melli quoque, ſi placet, à cœlo inſtillatur maturitatiſque maxima pars eſt; Fructus autem omnes, qui alvum turbant & ἐκζέουσι, Volatilis hoc ætherei, veri Roris alumni, faciunt impulſu, imprimis, ſi ad fermentationem Volatiliſque fugam, jam antè compoſiti ſunt, ut in Muſto & Pomorum illo ſucco apparet. Mannam vero Roris eſſe progeniem cum naſcendi ratio, tum principiorum ſimilitudo oſtenderint. Mel, præterquam quod roris inſtar cœlo pluat, etiam inſectorum ſtillat viſceribus, florum nuperrimè matutinus hoſpes, ut & ſic Rorem fuiſſe credas; Mellis ſpiritus planè cum Roris illo idem eſt, talis etiamnum in Tartaro concentratur, quem vel deſtillatio evincit volatilem eſſe. Caſſia & Tamarindi ad fructus pertinent horæos, & eâdem conſuetudine in alimentum tranſeunt, quâ aut Pruna aut Uvæ paſſæ ſolent; nec eſt, ut ab illis quidquam exſpectemus, niſi in inſuetis & delicatulis, ſive per ſe, ſeu longo præparantium uſu σῶμα εὔεργον habentibus. His Ægyptii, Itali & nunc Galli quoque alvos laxant, ſed ex præparato tantùm. Cæterum fructus horæi, ſive muſteo ſeu acido ſive vinoſo conſtant ſapore, unius omnes principii ratione in miſto dominantis turbare alvum ſolent; Volatilis, in-

quam,

quam, παρεκτικοῦ. Uvæ paſſæ nihil aliud ſunt, quàm naturalis Sapa. Nam ubi muſtum aliàs in offam decoquitur, hic Solis calore intra uvæ membranas coagulatur in pulpam, ſpiritu turgens volatili; quippe & Vinum & Tartarus & quævis ejus Elementa novâ fermentatione evocantur, quam ubi in corpus deponit ad acceſſum fluidi ſtomachalis, turbas illas, quas dare ζέσις καὶ φύσωσις ſolent, ab his quoque neceſſe eſt exſpectemus. Ficuum recentium eadem eſt in Italiâ ratio, nam ſi inſueti muſteâ illecti dulcedine nimium iis indulgeant, exæſtuante in ventriculo ſucco, reliquos etiam inficere humores & fermento præcipitare poteſt. Pruna acida ſunt, ſicca illa & longâ ſenectute rugoſa; quid vero aliud in his quoque, quàm Volatilis muſtei aut roſcidi intra pulpam conceptus? propter hoc enim volatile generoſa ea vocat Ovidius. Huic tamen miſturæ etiam Tartari iſthoc & Tamarindorum acidum acceſſit, bili refrænandæ ejuſque Sali figendo non plane incommodum. Hæc denuo Sapa ventris immiſſa humido novo recrudeſcit impetu ſpiritumque fundit καθαρτικὸν, ferente hoc corporis temperamento humorumque fluxu. Poma cuncta horna & ipſæ Granati alvum ejuſdem Volatilis reſpectu turbant, eſtque Ægyptiis Granatorum ſyrupus ad alvum citandam uſitatiſſimus, ſparſa ſcilicet in Saccharo muſtea elementa. In hiſce ergo omnibus cum ἀνάλογον quid veræ purgantium Sapæ deliteſcat, ex parte poterunt unâ ejus operatione defungi, nimirum, fermentatione; ſed incidere aut attenuare propter temperamenti mollitiem non poterunt: ſed cum hoc melius Acria effecerint, ab his quo-

que partem conferri credibile eſt, ſed longè iſtis debiliorem; nam, cum potiſſimum in Purgatione ſit fermentatio, iſtis veram æmulationem intercedere exiſtimem, his, non niſi ſimulatam aliquam & ex accidenti provenientem, maſſæ ſcilicet diſpoſitione. Sales longo uſu purgativi ſunt comperti, imprimis, ſi copioſi aſſumuntur, potentiorem enim ſanguini τῆξιν inferunt. Sed in hoc ordine aut Volatiles ſunt lixivi aut Fixi, vel denique Muriatici, ubique puri aut permiſti; Sales Volatiles alvum laxare experimento certum eſt & Italorum convenire conſuetudini magis quàm huic noſtræ didici; quia obſtinatior humorum unio biliſque ſuppreſſio in noſtro hoc cœlo vehementiorum patitur inſultus: acuminis ratione facile penetrant maſſam & principio volatili inflant, quibus ſi oleoſi quid acceſſerit, ſapæ æmulantur naturam potentiuſque movent. Huc Aromata ſpectant, quæ ſalem intus alunt volatilem, cujuſque reſpectu attenuare ſanguinem & ad præcipitationem diſponere poſſunt. præſertim, ſi copiosè ingerantur, ut in piperatis garis & aliis fieri manifeſtum eſt. Sales fixi ſymbolam quoque conferunt & potenti diviſione præcipitandi dant occaſionem; ſed non niſi ex humorum ingenio, tam enim eorum dubia eſt ratio, ut ne quidem verorum Purgantium ſales juſtà purgandi facultate polleant, & de Tithymalli cinere non aliud auſus ſit decernere Galenus, quàm quòd eſſet ῥυπτικός. Centaurii, Abſynthii, Carduibenedicti Sales promiſcuè omnibus medicamentis accedunt, cum temperantibus tum purgantibus & ſudorificis, ambiguæ facultatis certo argumento. Sed ſalſa potiſſi-

potiſſimum muriatica purgandi poteſtate ſunt nota; hoc Braſſavolus Eraſtuſque ſuo calculo affirmant. De Salſis muriaticis Plauti eſt locus in Pœnulo.

Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur,
Sine omni lepore, ſine omni ſuavitate.

Hæc, ſi originem ſpectes, ex lixivio & acido coaluerunt, volatili etiam aliquo intus concentrato. Aquæ marinæ copioſus hauſtus, quæ eſt muriatici ſalſi ſolutio, alvum valide abſtergit, quod hodie nomen in ſalium deſignandâ facultate probant; certè Agyrtis quibuſdam quartanam ſolvere hoc modo placuit. Propria autem his magis purgatio eſt, quod & humido & volatili quodam inteſtino plerunque ſcateant. Salſi hujus muriatici varia eſt conditura, aliud enim eſt liquamen, aliud ſalſamentum. Liquamen muria eſt, quæ, ut colata eſt, ϛακτικὴ audit; hac alvos ducere Celſus jubet, irritat enim diſſolvitque primæ regionis fæcem. Miſcetur ſæpe piſcium ſaniei hoc liquamen, ſive olidis Thynni viſceribus, ſeu putris Siluri cruori. Hanc confectionem Garum appellant, ſcilicet, vilius & diobolare & ad medicos uſus & purgationem commendant cum Aëtius, tum Cœlius Aurelianus. Sed ne quis vitio vertat Cœlio noſtro, etiam pullatæ plebi ſuum garum fuiſſe, ecce Martialis teſtimonium de Garo.

Antipolitani, fateor, ſum filia Thynni,
Eſſem ſi Scombri, non tibi miſſa forem.

Gravior eſt Julii Alexandrini lapſus putantis garum eſſe noſtrum Caviaro; equidem ſic in Clyſterem recipi non poſſet, cum ſalſamentum ſit & ſolida piſcium pulpa. Sed Salſamenta accepta in primâ menſâ alvum detrahere Galenus oſtendit, & Alexandrinorum laudat mores in promulſide ſalſamento veſcentium. Sane hoc etiam in jejuniis ſuis Pontificia natio obſervat, frequenti ſalſamentorum uſu alvum reddi laxiorem; meminique ego, itineris ſocio cuidam meo moleſtam accidiſſe ex Caviari abuſu purgationem. Salſamenti erant ſpecies apud Veteres præcipuæ, ὠοτάριχος & ὠμοτάριχος, illud ex Ovis conficiebatur, hoc ſolidâ Carne. Ex Mugilum ovis Botarga hodie ſuum Itali, ſed ex Sturionum ovario Caviaro Barbari præparant. ὠμοτάριχος eſt ex Thynni ventre & carne ſolidum ſalſamentum, plebeji & caſtrenſis uſus, adeo ut utrumque & Garum & Salſamentum è Thynno redundet. In hiſce autem præter muriam & carnis accedit ſanies ſale plena Volatili, ut deſtillatio demonſtrat, hujus maximè miſturæ reſpectu alvum laxari probabile eſt, facilè enim turbant & putreſcunt diverſæ partes: de Garo rectè Suidas, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ἢ σηπεδών. Ad Salem muriaticum Chemicorum monitis referendum quoque eſt Nitrum, de quo Galenus, quòd incidat & attenuet, ſuo autem experimento Braſſavolus quòd purget. *Nitri*, inquit, *drachmam unam & dimidiam in jure exhibui, & craſſas materias eduxit & quandoque mortuos vermes, nam mirum in modum vermes necat, infinitis puerulis ad ſcrupulum unum præbui*; in fidem deinde rei feſtivam ſubnectit de pulvere pyrio hiſtoriam. Ut mirum

rum non sit, quæ nitrosis particulis referciuntur, ea persæpe laxativa esse. Urina ipsa, quæ nitrosæ solutionis exemplum est, alvum laxat assumta. Brassavolus scribit, Italas mulieres ad Lienis duritiem urinas potare, ut ventris doloribus adstrictæque alvo succurrant. Sed, quod Plinius ait, sordidum est Barbarorum institutum, Camelorum urinas quinquennium servatas heminis potare, vehementer ipsâ putredine dissoluto sale. Urinam vero καὶ ἀποσμήχειν καὶ ἀποῤῥύπτειν Fullonum testimonio probat Galenus, estque aut Typographorum lapsus, aut insani cerebri mendacium γραφεῖς pro γναφεῖς substituentis; tantum enim ad Pictores urina, quantum πρὸς ἄλφιτα. Clyster ex eâ fieri potest, quæ cum olim corporis hospes fuerit, nunc quoque amicè recipietur & bilis vicem optimè implebit; bilis enim salem & urinæ eundem esse jam à Pecqueto visum & Helmontio uterque certè nitrosus est; quid quod nitrum factitium sive ex stercoribus seu urinis decoquatur: Columbina autem stercora irrorata nitrum resudare Crystallinum vulgare est. Avium equidem fæces ideo cæterorum animalium excrementis sunt acriores, quòd quæ hic in urinas redundat salsugo, ea ibi ob commune utriusque fæcis diverticulum in alvum deponatur. Anserum stercus ob eandem nitri, id est muriatici salis acrimoniam tardam Ictericorum alvum provocare solet. Sed jam multæ sunt herbæ, tam nitri quàm nitrosi stercoris alumnæ, quæ sane ejusdem salis ratione aperire alvum, aut, quod illi malunt, abstergere poterunt. Capparis ad Melancholicorum duras alvos quæsita, nitrosæ hoc salsuginis respectu facit,

quam

quam & Sapor manifeſtè deprehendit, & vel ipſe natalis evincit; muris enim enaſcitur calcarioque ſaxo nitri abundantiſſimo. Braſſica vero & Beta nutrimenti naturam ſequuntur, fimo adoleſcunt fimoque magnam ſubſtantiæ ſuæ partem debent, nam & acre ſapiunt, & putrefactæ vel aquis elixatæ fimi, quem hauſerant, odorem terrius reddunt; nec negaverim Braſſicæ marinæ muriatici ſalis pluſculum accedere, unde ejus vis vulgatâ illâ potentior ſit. Lactis Caprilli deterſio & quæ eſt in ſero, meo quoque judicio nitroſæ partis beneficium eſt, avidè enim nitri florem ſaxis effloreſcentem appetunt Cappellæ. Unde Poëta inquit eas linctu ſalis occultum in lacte referre ſaporem. Huc quoque decoctum ſeu jus Galli veteris referendum Arabum elogio, qui atram putant ducere bilem & meracam; ſubtiliter, veteris Galli, pulliciei enim ob mollitiem carnis alia ratio eſt; ſenex Gallus, cum naturâ ſiccior ſit, amiſſo in tantum ſalis temperamento ranceſcit, acriorque pulpa in offam refundit ſalſuginem, quæ nitrum apprime refert; ſed quòd in decoquendo modeſtiam non adhiberet coquinaria plebs, meritò animadverſum eſt à Septalio. Senectam autem ſalſi ſenſum facere manifeſtiorem, vel hoc argumento eſt, quod omnes herbæ vernulæ & recentes nihil ſapiant acre, adultæ & decrepitæ acerrimæ ſint, cujus alio in loco rationem deduximus. Cuncta ergo hæc acrimoniæ reſpectu ſalſæ lixivæ aut muriaticæ ventrem abſtergunt, & ſi ſanguinis hoc permittit εὐεξία, ſolenniter purgant; ſolo muriatico ſale tabeſcere Limacem, inque ſaniem reſolvi mirum eſt, ſed hoc potentiſſima

τῆξις

τῆξις & ſalis acumen facit. Sunt deinde alia quoque medicamenta, quæ unius & exſuperantis Elementi ratione alvum ducunt, oleoſa maximam partem & pinguia; nimirum vias inteſtinaleſque aditus lubricant, dura emolliunt pertinacemque humorum nexum diſſolvunt. Sed cum ipſa illa videantur viſcida mutuiſque impedita tricis, quomodo alienis miſceri corporibus, & in minima penetrare poſſibile eſt? Sane habent hoc olea omnia, Amygdalinum, Olivarum iſthoc, etiam ἄγαλον; ut, licet mutuis ſibi ramentis glutinentur particulæ, tamen penetrantiſſima ſint, &, quia ramentorum extenſionem flexuramque facilè ferunt, in denſiſſima quæque ſe inferant: id quod pellium confectione Galenus probat; nam, cum denſiſſimæ ſint, oleo tamen penetrantur & molleſcunt. Imo fides hodieque, duriſſima inteſtinulorum tormenta, eliquamus organiſque ſuis olei beneficio componimus. Mirum proinde eſſe non debet, olea vel deſuper ore accepta aut in Clyſtere ſubdita, ſcybala & quicquid eſt ſolidæ fæcis emollire lubricâque alvo depellere. Ventriculum quoque evertunt, ſi copiosè aſſumantur, διὰ τὸ δύσπεπτον εἶναι dicebat Ariſtoteles. Et certè in maſſam aliquando proſerpunt ſanguinis, uno & continuato ductu, vulnere enim aut hiatu externi corporis ſæpenumero exundare viſa ſunt. Commune eſt olei experimentum apud Galenum, τὸ πρὸς τῶ χρωτὸς ἀναπίνεσθαι ῥαδίως, ut pateat, omnium poſſe poris quantumvis tortuoſis accommodari haſce tricas, & ab objecto figuræ modum accipere, hinc enim omnia emolliunt, lævigant, & μαλακτικὰ audiunt. Si Sal accedit oleo, etiam

etiam hujus ratione inteſtinorum vellicat fibras & frigentem uſque facultatem excitat. Sin veri interludant purgantis particulæ, ut in Cicino & illo Cocci Cnidii oleo Galeni ætate, eſt etiam, ut conſummatam inde purgationem exſpectemus; quo nomine veris illis accenſenda erunt, non Lenitivis. Itaque Oleoſa, pars tantùm purgationis dicenda ſunt & ſecundùm quid, quippe quæ in ſanguinem elapſa ad urinas potius quàm alvum convertuntur. Sed uti hæc ſeparatim Elementa cum volatilia, tum acria & oleoſa in lenitivorum tranſeunt cenſum, ita miſta hæc & artificiosè adunata æmulatione quâdam Electivum referunt purgans: ſed quia Volatilis temperamentum ægrè ars aſſequitur, Naturæ victas manus dare neceſſe eſt, & de Purgantis veri confectione deſperare, licet in Sale volatili oleoſo & Balſamo Sulfuris Aniſato Practici exſultent. Volatilia & fermentant præcipitantque, Salſa ſolvunt & irritant, Oleoſa penetrant & emolliunt; una vero Purgantium Sapa ratione totidem principiorum omnes implet Lenitivorum numeros ſingulisque partibus fungitur. Longius ab utriuſque naturâ abſunt Eluentia, ſic aquea vocant; poſſunt tamen & ipſa purgationes movere impetuoſas, ſed ex occaſione materiæ & per accidens. Frigida gelu ſuo ventrem perſtringit fluxoſque humores provocat, ſed in ſanguine præcipitationem quoque mirificè auget. Si enim humor in Ardentibus exantlatus corpore fuerit, &, ceu in Sapâ, lateat oppreſſum Volatile bilis, novo exundante fluido vigorem recuperat, coactaſque fibras diſſolvendo ad proximam ſecretionem componit; ſi aquâ

Sapam

Sapam maceres igneque modico conficias, igneus illi vigor redit, partiumque in fluido commissarum æstus. Hoc experiuntur, qui vel ex obstinatione aliquâ aut falsâ opinione in Ardentibus frigidâ eluendum esse sanguinem existimant, seque in magnas & fatales sæpe diarrhœas præcipitant. Verum Effervescentiam quoque intestinalem effœtam & humidi defectu tardius procedentem, frigidæ affusio inflammare denuo & accendere videtur, non aliter, quàm calcis vivæ ebullitionem aut Vitrioli olei cum Marte effervescentiam aquæ redintegrat mistura. Equidem hos motus tumultuariamque bullitionem in ventre passim & lumbis ægri persentiscunt, & cum dolore conceptam fæcem excludunt. Hæc meræ aquæ effecta sunt, cæterum, si salina interludant muriatici Salis aut Calcarii saxi ramenta, eatenus quoque in Lenitivorum classem sunt redigenda: quatenus vero metallicæ pervolant atomi, partem veris quoque purgantibus debent. Cum autem aqua in hisce suum faciat eluendo, neque forte sine eâ constet operatio, non immeritò hanc, ceu præcipuam effecti causam, admiramur. Advenæ, qui Nilum bibere Cayri incipiunt, omnes diarrhœis corripi solent, notante Prospero Alpino; aqua autem Nilotica, quamvis dulcis sit, abrasis nitri ramentis refertissima est, quod ex cæspitum sedimento colligitur, totus enim ille tractus post fluvii decursum nitro exæstuat. Aquæ, quæ passim calidæ terræ erumpunt sinu, Salis fovent muriatici partes aut Metalli. Hinc ad alvos ducendas copiosæ potantur Medicorum instinctu; multi jugis gaudet Thermis Patavi-

nus

nus ager, in quo celebre olim fumoſumque Aponum, nunc ejus loco B. Virginis ſcatebræ, & Helenæ fontes per Sylvaticorum deducti fundum, ad Purgationes commendantur. Verum Aquæ hæ ex Fallopii ſententiâ mitiori Sale ſunt præditæ quam Aponenſis, quæ à Savanorolâ ad tertium extollitur quartumque caloris gradum; ſed nos ipſi poſt Fallopium Aponi experti temperamentum longè mitius Savanorolæ opinione comperimus, & quaſi ejuſdem cum Aquisgranenſibus nonnullis facultatis, nam & hic & ibi calcarium admiſceri ſaxum Nitrique nonnihil ex analyſi innoteſcit. Sed hæc non tam admiſtæ materiæ reſpectu, quàm aquæ eluentis alvum ducunt inferiorem: &, ut quid humorum hic debeas diſpoſitioni, eædem illæ aquæ calore corporis ſatis valido à centro ſæpe venarumque truncis in ultima vaſorum oſcilla propelluntur, ſudoreque morbum ſolvunt. Cæterùm Acidulæ & quidquid eſt paſſim Aquarum metallicarum, à ſubſtantialibus metallorum ramentis efficaciam mutuantur, quas propterea non tam laxare quam ſeverius & ex juſti Purgantis officio detrahere exiſtimem. Vitriolatæ, licet à ſalis liquati & innatantis Cryſtallis acumen habeant, unius tamen metalli ratione, Ferri aut Æris, ventrem ſubducere ſolent, ut Capite XIV. demonſtratum eſt & III. Aluminoſæ, ſi Mercurio inferciantur, huic neceſſe eſt facultatis ſuæ partem debeant, quemadmodum illæ quoque, quas Argenti pervolant ramenta. Nimirum, his etiam Volatile ſubeſt purgativum, quod aëri expoſitæ facilè exhalant; ſubeſt deinde Acre metallicum, quod putreſcentes in Ochram refundunt, ceu in Tartarum Vini purgativa.

cogitur. Adſunt tamen & alia Naturâ longè aliena, quæ pro humorum conſtitutione alvum poſſunt movere. Terrea certè nemo non juſto purgantium temperamento ipſique purgationi adverſa dixerit; attamen ab his quoque nonnunquam, &, quod ſtupendum eſt, felicius, quàm à veris & Electivis purgationem promittimus. Ubi auſteri & acidi ſucci ventris infeſtant latebras, purgantis ſæpe veri, licet vehementioris, eluduntur vires & Volatilis effluvia ſalis fixatione obruuntur; & cum pronus alioquin Bilis in Inteſtinum impetus purgationem ambiat naturalem, ab hoc infenſo hoſpite prohibetur: quare Terreis Alcaliniſque hic advocatis acidi opponentis infringitur commercium, & retenta tamdiu bilis in ſe converſa tentatam ſæpe purgationem orgaſmo compenſat. Scio ab aliis hic Practicis animadverſum, Cretam, Coralia, Cancri oculos, alvum Epilepticis, aliiſque acido Hypochondriaco obnoxiis feliciter moviſſe; ſed nuper quoque, teſte Medico non inglorio, in Muliere ex Aphthis & ſalſo continuò aut acido ructu laborante, alvum bis terve dejectam à Cretâ & Coraliis fuiſſe notavimus, quod ſemel iterumque in infantibus mihi accidit. Auſtera, ſi quid purgant, alterius hoc principii ratione & per accidens efficiunt; ſcilicet, vegetabilium ſapam aut metalli continent particulas. Cydoniorum pulpa aliquos purgat, quia Volatile inteſtinum emergit, & fermentatur fructuum inſtar. Vitrioli ſive naturalis ſeu artificialis auſteritas vincitur à metallicâ facultate, & pro principii volatilis potentiâ vomitum aut alvum ciet: de quo alibi diſceptatum. Nunc videndum, quæ mutua

ſit evacuationum differentia reſpectu principii diverſi.

CAP. XXXIV.

Quid Purgantia à Vomitoriis in agendo differant, utraque quid rurſum à Sudorificis. Vomitoria magis Volatilia citius emergunt adeoque citius fermentant. Sudorifera, quia in iſtis miſturæ ratio oppreſſa eſt, aut Volatile inhæret ſuperficiale, ſed Sulfureum, agitant duntaxat & calefaciunt maſſam, non fermentant. Hinc illæ tantùm partes diſcedunt, quæ calore ſeparari poſſunt, ut Aqueæ; cæteræ, quæ niſi fermentatione non ſequeſtrantur, ut Bilioſæ, Pituitoſæ, ſolis Purgantibus detrahi ſe patiuntur aut Vomitoriis.

LEnitivorum aut per accidens Purgantium ratio jam conſtat, nunc inſpiciendum nobis eſt, quid à Vomitoriis quoque & Sudorificis actionis reſpectu differant Purgantia; Vomitoria certè, quæ principii ratione diſtingui à Purgantibus, ſed graduali differentiâ notavimus, ea utique non agendi formâ, ſed unis duntaxat atque aliis circumſtantiis diſtinguentur. Fluit hoc ex principii naturâ, &, cum magis volatile Purgantium illo cenſeatur, citius tantùm hoc effectum dabunt & majore molimine Vomitoria. Compellemus experientiam; materiæ ratione quid intereſt? Serum, Pituita eadem, Bilis autem copioſior, quippe quæ impetuoſius pro moventis efficaciâ fertur: Viæ hoc tantum diverſæ, quòd ſurſum hic, quæ illic deorſum contendunt; has tamen vi-

ces

ces adeo alternant utraque, ut Vomitorium modo deorſum præcipitet & in Purgans tranſeat, modo Purgans ſurſum moliatur, Vomitoriique induat naturam. Si moram ſpectes operationis, feſtinatior eſt hujus quàm illius impetus; ſed ex occaſione nonnunquam feſtinant Purgantia, tardant contrà Vomitoria. Quomodo verò hæc à magis Volatili principio dependeant, inquirendum. Equidem, quo quid eſt volatilius, hoc facilius & citius aſſequitur conatum ſuum, itaque cum Volatilius eſſe Vomitorii principium Purgantium illo perſuaſum habeam, mirum non eſt, agitante hoc principio, in maſſam protinus efferre ſua effluvia, attenuare, fermentare & ſecernere quam cito, & ſui etiam Volatilis auſpiciis in deſtinatos & naturales ductus propellere, Bilem verò propter fluoris proclivitatem ocyſſimè evocare. Jam quod ſurſum potius quàm deorſum nitatur vomitorii volatile, ex eodem quoque principio oritur: nam, ſimul Ventriculo receptum eſt, enitendi ille conatus inſurgit & facilè aſſequitur; inde Effluviorum pars ventriculi permolit tunicas, & furtiva rugarum oſcula admotaſque glandulas perreptat, tum quoque Oeſophagi illas, conglomeratarum inſtar, quas Fig. exhibet 1 Tabulæ 11. Hiſce Lympham exſugit frequentem Cardialgiæ toties auctorem, ut conſimilem eſſe hujus rationem arbitrer, quæ eſt Pyrethri aut Rhabarbari commorſicati, quæ Buccarum maxillarumque glandulis copioſam elicere ſalivam ſolent. Sed nec fieri poteſt, quin, quæ minimos venantur hiatus effluvia, nervoſas quoque impetant fibras, & ad contractionem, aut, ſi placet, convulſionem, invitent:

vitent : quare in Vomitu vellicari quodammodo ſuperius Ventriculi orificium probabile eſt, ſed & neceſſitate quâdam diſtendi; ſed ob circularium fibrarum reniſum ægrè hoc aſſequeretur vomitorii volatile, niſi ad eadem vomitorii effluvia accedentemque illuviem fundum Ventriculi ſubmotum connivens oſtium valentius recluderet. Verùm in Sudoriferis cum operationis, tum viarum materiæque reſpectu plus eſt differeutiæ; cum enim pene eadem ſit Purgantis & Vomitorii actio, Sudorifici longè alia eſt : oſtendimus ſupra per ſapæ aliquam mutationem activitatiſque temperamentum è Purgante Sudoriferum confici ; ſed etiam ſequeſtratum à miſturâ ſua Volatile ſudores pellere, cum in compoſito alvum duceret. Spiritus Vini, Tartari, Mannæ aliique ante fermentationem in miſto, aut chemicam analyſim, Purgandi pollebant facultate, ſed ſecreti jam & à miſti compede liberati ſudores tantum propellunt. Enimvero, quia ſimplices ſunt & ſuâ emancipati Sapâ, fermentandi quoque nullum habent principium, adeoque nec purgandi. Quid igitur? agitandi ſolum & permovendi, quod unius Volatilis, quà tale, proprium eſt. Statim ergo, cum nullis ſe expedire carceribus habeant jam ſoluti, in maſſam evolant ſanguineam effluviorumque emiſſione eam ſubagitant : neque hoc tantùm ſed & calefaciunt, oleoſâque parte, quæ ſpirituum iſtorum individua comes, incendunt. Rarefactio autem hiſce præ omnibus communis eſt, etiam juſto major, ob Elementi ignei interceſſum, ſine quo Sudor conſtare non poſſit, Purgatio poſſit : quippe ſi calorem aſſumto Pur-

gant'

gante foveas, adeo ut in ſudores anguſtiæ erumpant, nullam tibi crede Purgationem futuram, aut oppidò parcam: nam, quæ rarefactio fermentationem promovet temperata, ea nunc fervidior in deſtillationem humidi aut evaporationem deſpumat. Sanguinem putrefactio aut fermentatio in ſuas diſſolvit partes, ſed deſtillatio ſine præmiſſa fermentatione lympham duntaxat & partem elicit ſeroſam. Ità etiam ſudorifera non Bilem, non alia, quæ fermentationem & ex eâ ſecretionem ſupponunt, ſed unum modo ſerum, & quod à reliquâ maſsâ ſolutum ei annectitur, deſtillant caloris incentivo, inque circumfuſam auram propellunt; nimirum, urget intus & undique calor oleoſique expanſio, & quocunque loci ſubſiſtens fluidum à centro, hoc enim caloris eſt, ad ambitum protrudit & corporis extremum; ubi remiſſius aëris temperamentum à validiore conatu propulſam Lympham facilè excipit ſudoris ſpecie. Motus profectò, nonnaturalis ſudoris cauſa, eodem hoc efficit calore oleoſique interni per auctam efferveſcentiam accenſione. Quòd ſi aliquando vehementiſſimus calor Serum propellere non potuit, ut in Ardentium & Malignarum nonnullis; à ſummâ & nimiâ accidit rarefactione, ad ſuperficiem non modò corporis ſed & quàm longiſſimè ſua jaculante effluvia, ſeroſaſque particulas ipſo in aëre diſtinente, in quo caſu etiam procul ſentiri ardoris vis poteſt: ſive quòd ſiccius temperamentum Serum maturè abſtulit, aut in ſuperficie coagulari paſſum non eſt, ſive quod ſcabra cutis contractio pororum compreſſit hiatus. Sed in Syncope, in Deliquio viſcoſus

aut acris ſudor Caloris beneficium dici non poteſt, rigeſcit enim univerſa corporis ſuperficies, ſanguiniſque motus intervertitur. Quis verò dubitet molientem tacitè & in ſanguinis ſinu calorem, tanquam ultimas & fatales ſæpe calidi influentis reliquias, aggredi quidem & ſi non omnium, ſaltem certi & aquoſioris ſucci minari Criſim, ſed inceptam mox & deſperatam in impotentiæ ſuæ argumentum relinquere. Serum autem unicum ſudationis aut vaporationis corporeæ objectum, ea quoque in ſe abſorbet ſalium ramenta, quæ proportione quadam figuratâ meatibus ſuis reſpondent; ejuſmodi ſunt Salſa muriatica, lixiva, acida, etiam vulgo menſtruo ſubigenda aqueo, quæ nec Serum proinde reſpuet, ut pote maximam partem aqua. Muriatici Salis ramenta noſtris certè ſudoribus communia vel guſtui apparent; lixivi acris præſentiam Petechiales & peſtilentes maculæ ſatis probant; acidum in Hypochondriacis ſudorem & ſapor & *fluentis acaciæ rivi*, ut cum Satyrico loquar, ultro deſignant, ne dicam flavo aut puniceo colore deturpatas veſtes rodentis acidi argumentum eſſe. Hæc verò cuncta per accidens & corporis vitio ad ſudores convertuntur, uno Sero naturaliter huic ſecretioni hiſceque ductibus deſtinato: ut non materiæ tantùm reſpectu, ſed & viarum à Purgatione ſudor differat. Agitatus calore humor ſimul ſpiritibus, ſiqui ſunt, ſphæram deſtituit naturalem, &, ſi per calorem undique inſiſtentem liceret, in Pancreas Meſenterii Buccarumque glandulas, certè intus concederet; verùm, quia æſtu abigitur inteſtino, neceſſariò corporis petit ſuperficiem, pacato-

catoque & minus mobili aëris contubernio sudoris specie imminet; si nimirum coagulationem in cute aut corporis aut aëris temperamentum admiserit : nam à caloris gradibus sensilis insensilisque transpirationis pendet distinctio. Sed medium, quo vaporantis sanguinis serum in sudoribus excipitur, longè nunc etiam aliud est, quam purgationis isthoc ; hic enim interiora, isthic exteriora afficiuntur, attamen, quæ hic sunt glandulæ, etiam ibi sunt, communia passim humoris colati diverticula & fluidi corporei cribra. Latent cutem inter & pinguedinem substratam Glandulæ, quæ copiosum serum, maximè verò ad motus augmentum, in se recipiunt perque suos ductus revomunt. Hæ glandulæ oculo Anatomico patent, modo subtili manu expediantur, quòd vel in Femorum pinguedine aut passim in Leucophlegmaticis felicius tentatur, in his enim Glandularum istarum non infrequens morbus. Nuper admodum, in Pectoris quoque cute hasce glandulas, si placet, miliares, & mihi & Academicæ coronæ ad oculum exposuit excellentissimus longè & eruditissimus Medicinæ & Anatomiæ Professor Carolus Drelincurtius, Regis Galliæ Consiliarius. Ab hocce glandularum subtegmine tubuli etiam nonnulli exporriguntur, omnibus enim glandulis sua sunt excretoria, in ultimam continuati cuticulam, vix & nisi à sudante sero patentes. Sed & aliquot in partibus tractim digitis mulcendo, humor hisce osculis emungitur serosus; ut in digitorum pulpâ & alibi corporis, disposito jam ad sudorem sanguine, plus millies expertus sum. Neque hoc adeo à naturâ esse alienum, mutua ani-

malium probat analogia; in Piſcium cute ſtatim ſeſe ingerunt oculis blennæ iſtius oblinentis, quæ ſudoris vice eſt, vomitoria; gluten aut ſudor ille viſcidus, Rajæ lævigans ſuperficiem, quàm clariſſimè ſe eructat ejuſmodi tubulis, & vel ultro aut ſtrictâ cutis preſſione cognoſcitur. Sed Vegetabilium huc quoque collineat textura. Citri exterior ſuperficies tota rugoſa & puſtulata, ſi preſſius manu tractetur, emiſſitium undique ſalientemque ſuccum certis oſtiolis evibrat, quorum ſi originem curioſius inveneris, reperies productos in extremum corticem tubulos à Tuberculis prodire glanduloſis, ſolidâ cute intertextis & ab interiore pulpa fibras mutuantibus. Differt itaque Sudatio etiam à Purgatione multiplici nomine, nam & materiæ, quæ hic varia, ibi per ſe unica, reſpectu. & viarum, quæ hic in interiora patent corporis, iſthic in circumfuſum undique aërem, tum ſecretionis maximè modo, quæ, cum hic pro fermentorum genere diſcrepet, illic nudâ & unius ſeri colatione perficitur; imo non in cutaneas duntaxat glandulas, ſed omnes paſſim corporis aditus, cunctaſque glandulas Seri hicce fluor redundat; in ſolas autem hepaticas veſicariaſque Bilis, in pancreaticas inteſtinaleſque tubulos Pituita. Hoc peculiaris fermenti genio noſtri adſcribunt, & quicquid ſit, ſive pororum certa ratio ſeu fermenti potentia, certè, quæ ab uno Hepate emungitur Bilis, à reliquis omnino viſceribus repudiatur: hinc illa humorum determinatio repetenda eſt, nam, quòd ad Hepar alia, alia ad Pancreas & Inteſtinorum tubulos convertantur, non attractricis eſt aut fatalis auſpicii, ſed venularum
reci-

recipientium moderamen ; quippe in totum perinde corpus ſanguinis motu humorum cogitur diluvies, ſed iſtis tantum partibus excipitur, quibus figurâ tenus & diſpoſitione reſpondet, cæteras impunè transmittit : neque hoc conſilio, ſed quòd aditum tentanti diverſa vaſorum contorſio reluctetur : propterea tam multis ante circulationibus eſt opus, quàm & ſeparatus ritè & in ſuum viſcus depoſitus humor fuerit. Serum autem, quia pluribus accommodari poris figuræ varietate poteſt, pancreaticis & hepaticis & omnibus deinde ingluviei inteſtinorumque glandulis, aut illis extremi corporis vel Renibus inſinuari ſe patietur, & modo Purgatione, deinde Sudatione aut Diureſi propelletur, ut vel Hydropicorum aquæ teſtatum faciunt, quæ omnis generis evacuationibus provocantur. Et ut Pituitam per ſuos tantùm expurgari ductus agnoſcas, per alios certè poros ſive Glandularum ſub cute, ſeu Pancreatis ſive Renum, non niſi liquata & in Serum reducta tranſibit, mutatâ adeoque formâ.

CAP. XXXV.

Purgantia, Humoresve secreti an acumine vellicent vasa, ut moveantur & destinatum viscus appetant. Irritatio exploditur, maximum apud plerosque præsidium. Arteriarum non est motus Peristalticus, quia destituuntur fibra motrice. Universus sanguis musculorum motu circulatur. Hujus deinde circulationis ceu pulsus beneficio in viscera præcipitantur humores, & per glandularum poros in receptacula propria adiguntur.

NEmo, cui acetum est in pectore, negare possit hunc jam secretum humorem, hospitis sui, sanguinis, venarumque arbitrio committi, ita, ut nec in alias deponi partes queat, quàm aut humorum impetus aut vasorum sinunt carceres; hic tamen plerique, imo vero omnes, internum quoddam movendi principium ab ipso medicamine aut secreto humore induxerunt. Duri quid & incocti in medicamentis reputabat Erastus, quo arteriarum oscula membranæque vellicarentur; in secreto humore Fallopius acumen quoddam & irritamentum, quo ad contractionem vasa expulsionemque noxii invitarentur. Secreta, fateor, & à communi humorum nexu vindicata, hoc ipso ἄκριτα, irritare venas arteriasque poterunt & ad motum impellere, sed, ut hoc constet, & sensilis primùm membrana & fibra motrix ostendenda fuit, quod ut suppositum hactenus & ex antiquitate receptum, hodierna non mediocriter infringit experientia. Si hoc Arteriæ sin-

ſingulæque earum partes movendi principium haberent irritatæ, jam Cordis laborioſa pulſio vana, jam incumbentis & inambulantis fluidi pondus nullum foret. Cum autem, qui ſanguinis eſt motus, idem etiam contenti, aut κατὰ σύγχυσιν permiſti humoris ſit, utique à Cordis ſyſtole propulſo ſanguine, etiam contentum cum continentis tum communis principii motum ſequi neceſſe eſt. Quicquid verò eſt in Arteriis aut venis Sanguinis, non vaſis irritatione, ſed mutuo & ſuccedentis liquidi impulſu, ſed Cordis & muſculorum motu, per corporis ambitum circulatur; & ſi eam aliquando hoc opere nominavimus, indulgendum aliquid opinioni & receptæ conſuetudini fuit, donec meliorem ſententiam acrior trutina dediſſet. Habet in ſe Sanguis motum quendam proprium & vernaculum, inteſtino æſtu ſubtiliſque Elementi commercio conciliatum, ſed hic Circulationem motumque progreſſivum non determinat. Alio ergo opus fuit, inquis, & cum irritatione contenti acutâ, tum contractione continentis fibroſâ. At ſiqua eſſet à contento irritatio, non ab acumine hoc procederet, ſed expanſione & tumore rarefacti ſanguinis, nimirum eâ, quâ cordis diducti Thalami ad ſyſtolen convelluntur: quod ipſum neque à Corde exſpectari poſſit, niſi fibrarum reſpectu muſculi impleret mimum. In arteriis, ſcio, motum nominat Periſtalticum vulgus, tanquam ſyſtolæ iſtius vicarium, ſed, me herclè, oculorum is ludus eſt, neque enim motum habere ſibi proprium poſſunt, quòd fibrâ deſtituantur motrice: equidem Arteriæ vel ſubtiliter exenteratæ aut decoctæ nullas ejuſmodi ſpargunt fibras, & quæ non procul corde ar-

teriæ ſurgentis fontem ſignant fibræ, ſunt continuata Cordis caro, & in tendinoſam quaſi arteriæ membranam deſinens muſculi venter, ſic enim coaleſcere ex muſculo tendines ſolent. Cor, μῦς κάρτα ἰσχυρὸς, οὐ νεύρῳ ἀλλὰ πλήματι σαρκὸς, circumagendo per univerſam corporis ſphæram ſanguini facilè par, arteriarum illo niſu & propria facultate non indiguit; ſed demum, ſi extra ſphæram provolutus ſanguis activitatis hujuſce terminum effugit, adjuviſſe ſe naturâ motrice fibrâ, ceu Cordis analogo, & deficientem continuaſſe motum viſa eſt. Sanguis matris fœtæ proprii corporis emiſſus circulo & in Iliacas Embryonis arterias exponendus, novo motus vigore in novo decurrendo circulo opus habuit; adjunxit ergo umbilicalis in Iliacas inſertioni muſculoſam pulpam, fibram motricem, quæ extremâ ſyſtole deficientem jam motum redintegraret, novæque circulationi principium adderet; imprimis, cum Cordis ſyſtole in Embryone impotentior ſit. Hanc ſane muſculoſam partem verſatiſſima nobis Drelincurtii dextra nuperrimè aperuit, quo adeo molimine opus non fuiſſet, ſi fibræ propriuſque motus arterias exercerent. Muſculus ergo Cor ſui corporis circulo ſufficiens, fibrarum ſuarum motu & ventriculorum ſyſtole liquido motum ſuum proximè impertit, & in porrectum tendinem, cavi muſculi cavam ἔκφυσιν, impellit, Aortam, aliâ & continuâ liquidi ſucceſſione expandendam. Jam ne hæc arteriæ enaſcentis ſtamina tendini vel ligamento adeo diſſimilia videantur, eadem hæc, communis tendinis inſtar, in os denſari aut cartilaginem ſolent. Verùm, ut quæ in arteriâ ſunt fibræ, proximè à corde propagan-

pagantur, ita nullæ ſunt propriæ, & in nullâ arteriæ parte conſpiciendæ; nam, quæ in plus quàm ἀρχοειδῆ deſinunt vaſcula, ea poſitis alterius tunicæ exuviis, nullâ comite fibrâ, carnes perambulant; hic tamen, ab activitatis centro longius remotus ſanguis, arteriarum flagitaſſet contractionem propriam. Deinde venas, craſſioris & depeculati ſanguinis receptacula, fibræ magis decuiſſent, quàm arterias, volatilis & ſpumantis latè ſanguinis Euripos; naturâ quoque hoc motus à peripheriâ ad centrum, ab infimis ad ſumma, depoſcente. Natura itaque ſui ſtudioſa, deficientem aliquomodo in ultimo circuli ambitu motum, novo aliquo & ſuccenturiato cordis motu redintegrare auſa eſt; nimirum muſculus, Cor, principium dederat motus, fovent eundem continuantque muſculi Pectoris & Diaphragma, accelerant ſubinde & corroborant artuum muſculi. Ventris Thoraciſque in Reſpiratione alternos motus ad hunc ſanguinis motum plurimum conferre vel hoc argumento eſt, quòd levi abdominis depreſſione in cadavere, in ſummas uſque jugulares venaſque pedaneas momento involet ſanguis: in arteriis autem unius Cordis eſt, validiſſimi muſculi, ſyſtole, quæ ſanguinem promovet: cujus ſane argumentum in minimis arteriis, & vel in cerebri medullaris vaſculis, quibus nihil fatentur eſſe ſubtilius, eluceſcit; nam ſi vivo animali portionem cerebri novaculâ abſtuleris, reperies ad ſingulas cordis contractiones ſubſultim cedere, & eructari arteriolis ſuis ſanguinem; ut audiendi non ſint, qui in minimis arteriarum motum inſenſilem eſſe ajunt. Cæterùm, ſi periſtaltici mo-

tus

tus aliqua eſſet in arteriis ratio, non ſubſultim & impetuosè, ſed æquali & teſtudineo gradu moveri ſanguis debuiſſet, quemadmodum in inteſtinis alimenta ſolent. Itaque, qui in arteriis motus ad decurſum ſanguinis oculos tuos faſcinat & periſtalticus videtur, revera non eſt: ut enim ad citam ſanguinis tranſmiſſionem collabaſcere arterias vident; quippe quæ ab humoribus duntaxat aperiantur, motum increpant contractionis & periſtalticum; ſatis inconſultè; ſanguinis enim eſt culpa effugientis, & novum morantis impulſum Hunc motum ſemel acceptum continuant arteriæ, donec fractum jam carniumque anfractibus obliteratum, cum artuum tum pectoris & ventris muſculi contractione ſua reparent, eodemque ſed æqualiore pulſu ſanguinem in Cor revomant. Sed objicis, ſi à cedente invicem ſanguine ſanguis pellatur, utique impoſſibile videri, ut ligatâ vinculo venâ, pulſuque omni intercepto, ſanguis nihilominus abſorbeatur & in anteriora fugiat. Vaſa autem, ut hoc regeram, cum ab humoribus tantùm, non automatâ operâ, recludantur, niſu quodam naturali collabaſcere, & parietum hoc acceſſu elidere ſanguinem incipiunt: hoc certè de venis intelligendum minoribus, & ſolidâ paſſim carne aut pinguedine irrepentibus, quæ, dum carneum hoc aut ſolidum quo coërcentur diſpellunt, ambientis reniſu in ordinem denuo coguntur & concidunt, expulſo in proxima & majora vaſa ſanguine. Lymphaticæ venæ, membranis aut glandulis intertextæ, vinculo conſtrictæ, pellunt nihilominus & premunt interceptam lympham, non fibræ motricis, ſed ambientis ſolidi preſſæ conatu,

natu, membranarum & pinguedinis texto. Imo vero etiam poſt mortem & ſublatum diu cordis motum, moveri in extremis artubus Lympham non ſemel vidimus. In Cadaveribus tralaticium eſt, ſanguinem plerunque è minimis venis & habitu corporis ad truncum majoreſque cavitates compelli: ſcilicet, hoc inde accidere arbitror, quòd, cum poſt mortem partes fibræque carnoſæ collabantur, ponduſque pendeat ſolidi, interceptæ venarum membranæ neceſſariò coaleſcant, ſanguinemque hoc preſſu minoribus vaſis excutiant, in latiora & à preſſu illo magis libera vaſa, Truncum & Cor. Hoc tam laborioſè demonſtrandum fuit, quia olim omnes, nunc etiam plerique in irritatione hac omne purgationis punctum poſuere, ſed delet hanc experientia, petentiumque partium acumen in maſsâ deterit; in inteſtinis eſſe irritationem, ſecreti humoris vellicans acumen & nerveæ membranæ ſenſum urgenti concedam, licet & hoc ego caſu in dilatationem & ſecretæ illuviei orgaſmum ſim proclivior. Sed de cacochymiâ in ſanguine etiamnum fluctuante, quid aliud cenſendum, quàm committi eam hoſpitis ſui, ſanguinis, diluvio, & cum Cordis muſculorumque motu ſanguis propellatur, etiam communi hoc pulſu ſecretam fæcem, τὰ κεκριμένα, in arteriarum ultima moveri, & depoſitâ ex parte cacochymiâ in venas regyrare, alterâ aut tertiâ circulatione in totum hauriendam; tantum abeſt, ut impetu quodam & intentione deſtinatam modo partem, relictis cæteris, appetere videantur. Differunt paſſim à Corde arteriæ, in omnia promiſcuè viſcera, in omnes per-

perinde glandulas, vulgata humorum emunctoria, Sed recipere hæc non aliam materiam poterunt, quàm quæ vel modo ſubſtantiæ aut peculiari fato poris ſuis reſpondeat; Salivales glandulæ non aliam, quàm quæ latice ſalivam æmulatur fermentique glandularis patitur mutationem. Hepaticæ glandulæ oleoſam bilem & quicquid eſt ejus inſtar, ex facili hauriunt. Pancreas inteſtinorumque tubuli naturali quadam conſuetudine & pororum temperamento appulſum à ſanguine ſuccum muriaticum & pituitoſum retinebunt, imparatâ aut copioſiore materiâ per venas remiſsâ. Renes quoque non niſi ſubtilius ſerum & nitroſius exantlant. Nimirum hoc ab arteriis, nullibi defungente venâ, quam tamen adeo in Meſenterio vexarunt, contra Circulationis & naturalis motus auſpicia. Eſt tamen Splenica vena, quæ arteriæ inſtar Lienarem defert ſanguinem exaltatum, ut ajunt, novâ, ut videtur, ratione elutriandum. Venæ Portæ ramus eſt alter, quam cave ut per appoſitionem exprimas, Vena porta; apertè enim Galeno μεγάλη ἐπὶ τὰς πύλας. Proprius hic videtur Lienem inter & Hepar, & à communi cordis centro alienus circulus; ergo, ne tot jam perplexis Lienis ſinibus refracto, quem à corde acceperat, motu, ſanguis ſubſiſteret, vaginæ communi & fibroſæ collectos truncos incluſit natura, ut in ardua & anfractuoſa nitentem ſanguinem facilius educeret. Hoc quoque pulſu materia Purgationis bilioſaque aut alia cacochymia ſubvehitur, ſed ob viſceris glandularumque diſpoſitionem bilioſa duntaxat recipitur, ad alios deinde aditus identidem deducto ſanguine. Nimirum, vel pororum in viſcere diſpoſitio, aut

fermenti

fermenti peculiare temperamentum hos vel illos duntaxat ſuccos ſequeſtrat; ſed qui nullam habent invicem mutuæ diſpoſitionis proportionem, eos inſiſtentis ſanguinis flumen nequicquam ad inconvenientem texturam illiſos, in venas, quà data porta, regurgitat: ſed tamen pars quoque cacochymiæ redundantis, propter celerem ſanguinis circuitum, prætervehitur, & dum uno acceſſu non ſatis diu inhiare emunctorii oſtiis poteſt, alterâ demum & tertiâ circulatione hauritur. Quod ſi hic aliquis τὸ modale diſpoſitionis fermentique genium explicatum velit, is certè capitis noni-decimi ſannâ excipiendus eſt. Equidem ſi naturalis nos latet functionis modificatio, quomodo non extra ordinem & alieno in caſu eadem nos effugiat? Saltem à medicamento non eſſe repetendam hanc diſpoſitionem, vel hoc exemplo eſt, quod ab uno eodemque Purgante omnes promiſcuè ducantur humores, qui tamen, cum in deſtinata modo viſcera certoſque ductus recipiantur, non parum ſuæ particularum diſpoſitioni & ductuum, quæ invicem eſt, proportioni debebunt: licèt enim idem Euphorbium & Bilem & Serum expurget, à ſuo tamen Hepate Bilis, Pancreate & Inteſtinorum tubulis Serum exſugitur, quibus ſingulis peculiare fermentum à medicamine impreſſum fuiſſe ægrè crediderim. Id quod ſecernitur à maſsâ & ad purgationem præparatur, non quâ tale aut naturâ ſuâ alienum eſt, ſed exceſſu & ſolo termino. Igitur τὸ κακεχειμένον, ut ſuccus quidam naturalis & viſceri debitus, recipi ordinariis idoneiſque vaſorum ductibus poterit, ſed juſto copioſius, quia medicato fermento potentius verſata maſſa atque diſtincta fuit; at, vel Scholaſtico-

ſticorum elogio, magis & minus non variant ſpeciem. Naturalis ſecretio excretioque aucta purgatio eſt, critici, ſymptomatici aut medicati fermenti effectum; idem verò ubique humor, eadem redeunt clauſtra, plus minus affecta. Sed quod ad Inteſtinorum potius emunctoria ſecreta repat materia in Purgatione, impetus eſt aut temperamenti naturalis culpa; nullo enim tam ſæpe remedio ſe vindicare Natura ſolet ab incumbentis cacochymiæ pondere, quàm Diarrhœâ & Criticâ purgatione, ut quæ hic eſt determinatio, etiam in medicatâ purgatione cenſenda ſit. Verum ipſa aliquando cacochymia in alias ſeſe partes exonerat, magiſque convenientes aditus ſponte aſſequitur: Venereæ ſordes in Buccam,in glandulas ſe exponunt maxillares, quas propitio quodam genio Mercurius inſectatus, ſuarum partium inſeſſu ad uberiorem Salivæ ſuccique maligni ſecretionem fermenti inſtar diſponit. Hydropicorum ſubinde aquæ ductu quodam per Renes ſe præcipitant; hiſce, tum quævis ſæpe remedia tum etiam Purgantia ad Renes convertuntur. Atqui objicere quis poſſet, idem numero Serum, quod Hydropicos inflat, omnibus paſſim remediis omnibuſque viis expurgari, Purgantibus Alvo, Diureticis Renibus, Sudorificis Cute, nullam adeoque diſpoſitionis iſtius eſſe habendam rationem. Sed notandum eſt, Serum hoc, licet ubique expurgetur, non unâ tamen aut eâdem formâ vel ſpecie prodire, ſed pororum coactum anguſtiis medicaminiſque varietate impulſum, modo in viſcidius Serum ab alvo, nunc in ſalſius magiſque urinoſum à Renibus, tandem in vaporoſiorem Lympham ab extremæ cutis glandulis præcipitari: Accedit hoc quoque, quòd

alia ſit Purgantium in humores impreſſio, alia Diureticorum & Sudorificorum; nam, cum illa tantùm præcipitent, iſta nitroſâ ſua Salſugine, Diuretica enim pleraque ſunt ſalſa, urinoſo & renalium cribrorum proprio fermento Serum inficiunt, hæc calore ſuo & inflammatione oleoſâ à centro & carcere inteſtino ad externam aëris ſphæram protrudunt, adeo ut in unius quidem ſeri evacuationem omnia conſpirent, in ſingulis tamen eorum alia atque alia determinatio ſpectanda ſit.

Cap. XXXVI.

Secretam jam fæcem excretioni deſtinari in Inteſtinum declaratur. Secreta Bilioſa non veſicæ tantum bilariæ ſed & Hepati debentur. Non per Cyſticum modo ductum in Duodenum ſed & Hepaticum tranſeunt. Experimenta varia adducuntur. Seroſa à Pancreate repetenda. A compluribus deinde aliis ductibus. Ab Inteſtinorum glandulis hiantibuſque tubulis. Herophili & Galeni de iis teſtimonium. Oeſophagi Glandulæ Ventriculique poruli producuntur. A Meſenterii Venis Arteriiſque nihil immediatè manare infuſoriâ oſtenditur. Expoſita in Inteſtini receſſus, ejuſdem motu periſtaltico in extremam alvum devolvuntur, & janitorem pulſando oſtium aperire cogunt; inde in auras elapſa Medicum ſollicito labore & ægrum valetudine ſuâ liberant. Noſque manum de Tabulâ.

UT quid ab alvo exſpectetur, in continuatam ei fiſtulam, in inteſtinum exponi prius debet, ſed ut in hoc deſcendat,

jam proximis emergi tubulis viſcerumque colari ſubſtantiâ debet, pro ſingulâ eorum diſpoſitione varium; adeo ut, quæ naturaliter Bilem accipiunt vaſa, nunc hoc caſu cacochymiam quoque bilioſam hauriant; quæ Serum Pituitamque liquatam naturaliter, nunc etiam illuviem Seroſam ex facili ſudent. Bilis ergo, inſigni oſculo duodeni ſe immittens cavo, poſt uberiorem à Purgante ſecretionem, uberius quoque in inteſtinum excernetur. Quod ipſum Duodeni apertio ſub Purgatione ſatis ſuperque arguit. Contemplare Tabulam IV. exſpumantis ſucci vivum exemplum: attende lit. I. inteſtini hiatum, & ſtillantem guttatim humorem N. ductui ſe debere nota, aut communi bilis oſculo K. hunc verò etiam longius à continuatis poris repeti in F. G. H. Equidem hoc ſuppoſito & Veſicellâ & Hepaticis prolui lobis univerſam Bilem neceſſe eſt. Sed negant hoc hodie nonnullli Anatomicorum unique veſiculæ adſcriptum eunt, quas nullius adeo viſceris, quàm Hepatis eſſe partes ocularis demonſtratio evincit. Dabo non invitus, quin ultro aſſentiar, quæ in veſicula reperitur, bilem, non in Hepatis officinâ, ſed ipſius veſiculæ ambitu elaboratam fuiſſe: ſeu quod membranarum glanduloſum textum appellentem arterioſum ſanguinem ſequeſtraverit, ſeu quod ſecretior ratio eam huc adegerit. Sed nullam proinde bilem Hepatis emungi ſubſtantiâ, id verò inſolentius: habet certe ſecretionis hunc apparatum, habet glandulas & quæſita colati humoris diverticula. Verum quo melius dubios æſtuanteſque multa bile animos compeſceremus, ad Experientiæ incudem revocanda fuit bilis origo. Veſicariam dari bilem, membraneo

braneo enatam texto, oſtendit imprimis folliculi remotior ſitus, intercepto omni Hepatis commercio. Hinc abſentiæ ſuſpicio orta, negatumque partem eſſe, quæ loco non inveniretur: ita felle carere Columbam & Piſces aliquot: ſed ab Ariſtotele edoceri poterant, fel aliis Ventri aliis Inteſtino jungi. Secundò magna ſæpe bilem Veſicariam inter & Hepaticam differentia intercedit, ut ſecretionis paulo aliam eſſe rationem intelligas. In Avium plurimis & Anate Veſicariam bilem viridem ſæpe, Hepaticam nigram & plumbeam invenimus, viſumque eſt illud quoque in canibus poſt comparationem utriuſque bilis agnoſcere. Deinde multa ſunt, quæ veſiculam habent fluxam & non plano aut ſuperficie, ſed lineâ tenus & tenero ligamento ex Hepate pendentem. Sed quod in Vitulo Experimentum ante annos aliquot fecimus, exemplo aliorum ipſiuſque Backii incitati, referam. Flatum in arteriam Cyſticam immiſi, qui in ultimam quidem veſiculæ ſuperficiem erepſit, attamen, quod in Cane me vidiſſe memini, in cavum non erupit. Ratus itaque humidi hoc mollioris beneficio melius perfici poſſe, accommodavi tubulo ſyringem liquore impletam luteo, ſolutione gummi Gotte; propulſus tractim humor ſignare arteriolarum veſtigia cœpit collapſumque folliculum expandere: hinc manuum contrectatione tunicæ ſubſtantiam mirificè tumefactam & incraſſatam comperio, & ut conſtaret, quid intus gereretur, plagam ſubter cervicem infligo. Sed, dum urgeo, & ſpatium tunicæ creſcit, liquor vulnere effluxit copioſus & nonnihil mutatus, certo argumento per arterias veniſſe, quicquid in Cyſtidem depluerat ſucci li-

 quidi

quidi. Membrana veſicæ diſſecta ad panni lanei craſſitiem accedebat, eumque in modum erat rarefacta, ut manuum fide multas inæqualitates ceu aſpredines glanduloſas experiri foris licuerit, ſed & intus oculis cernere. Ut ſane in iis, quibus folliculus ſeorſim fluctuat & ex fibris tantummodo membraneis Hepati aut Inteſtino nectitur, ex arterioſo ſanguine, juvante glandulosâ membranâ, quæ ubique corporis frequens eſt, emulgeri bilem exiſtimem; Arteriæ vel ideo conſiderationem merentur, quod perplexo mirificè & contortuplicato flexu membranam perreptent, quarum ſi ſpectaculum placet, intercipiendus eſt vinculo ſanguinis motus, & veſicâ inflatâ primâque deglubtâ membranâ adverſo lumine inſpiciendæ; equidem, ceu in telâ acu pictâ, ludentium arteriarum plexus & divaricationes apparebunt: & ſi ad latera inclines & fundum, quâ Hepatis incumbebat plano, deſcendentium venarum creſcentes ramulos admiraberis, ſed longe pauciores, quàm ut bilis materiam hinc repetas. Cenſeo autem, quæ Higmorus pro bilariis ductibus expoſuit vaſcula, operis ſui Anatomici Tabulâ quintâ, ea venarum fuiſſe Portæ & Cavæ rudimenta, ductus adeoque revehentes nonnihil ſanguinis, nihil vero adferentes; tantum abeſt, ut cacochymiam per haſce in veſiculam revomi credam. Vidiſſe aliquid Higmorum non diffiteor, ſed tam craſsâ minervâ exiliſſimorum ductuum lineamenta proſtituenda non erant. At nihil quoque prohibet, ſupra arteriarum hanc ſecretionem, aliam conſiderare, certorum ductuum beneficium; quod in iis præſertim evenire exiſtimem, quorum veſicula latiore baſi Hepatis plano agglomeratur aut altius

tius insculpitur, ut in Homine contingit. In his, inquam, necesse est arctiorem quandam necessitudinem vasorumque communionem intercedere Folliculum inter & Hepar. Sane in Canibus, calente adhuc corpore, pressum Hepar biliosum revomere succum in dissecti folliculi incumbentem basim reperi; & licet oscilla ductuum ad bullientis succi guttam se manifestent, celantur tamen & insensibiliter ab Hepatis Parenchymate hauriuntur, ut, quod de Alpheo flumine Poëta,

Occultas egisse vias subter mare,

de hisce ego ductibus jure merito existimem. Ipsa tamen aliquando Natura necessitate quadam & prementis succi pondere compulsa, ductuum horumce lineamenta in lucem extulit. Nimirum in Bobus frequentissimum est unum aut alterum vesicariorum ductuum prodire, & bilis copiosâ alluvie cum tempore dilatari; cogitur enim propter Hepaticorum obstructionem hanc viam insistere. Semel me invenisse memini geminos canales, densos & specilli aversi capaces, quorum alter patulo ore folliculi cavo inhiabat, alter obliquato inter membranas ductum ureterum instar occulebatur. Diu mecum reputavi, quis naturæ ludentis sensus esset, & quia πᾶν τὸ γινόμενον, διά τι ἀνευρίσκετ' ἂν γινόμενον, καὶ ἐν τῷ διά τι, aliquem esse horumce canalium usum sustinui: & quoniam summa ætate & per secundam intentionem, ut vocant, regenerari ejusmodi vasa incredibile sit, jam ante concepta fuisse lineamenta, adumbratumque meatuum usum necesse est. Ex hisce arbitror

bitror innoteſcere Hepati quoque ſecernendi potentiam ineſſe, glandularumque huc contextum Hepaticorumque ductuum ſitum collineare; laborioſè id nuper Malpighius & doctiſſimè deſcripſit. Glanduloſa compages eſt Hepar, & in animalium compluribus, quæ ipſe recenſuit, ad manuum contrectationem tubercula comparent manifeſta. Verum dubitem, an in alio animali conſpectior ſit hæc glandularum ſubſtantia, quam in Limace; nam qui Lobi vulgo ſunt, hic Pancreatis mentiuntur excurrentes alas, & glomos ſuos oculis inferunt. Hiſce in receſſibus bilioſa perinde ſecernitur Cacochymia, pronoque gurgite in inteſtinum delabitur. Profecto, ſi Bilis quippiam à Veſiculâ per cyſticum hepaticumque ductum in Hepar, ad ſanguinis renovandum fermentum regurgitaret, quod Backio placuiſſe video, utique Cacochymia & ſecreta ſemel purgamenta in Hepar denuo incumberent, καὶ τὰ ἔσχατα γένοιντο χείρονα τῶν πρώτων: facit tum hoc quoque, ne ad Hepar quicquam redire credam, quod una ſæpe dejectione aut vomitu plus detrahatur bilis, quàm Veſicæ cavitas admittit; ut nihil adeo Hepati relinquatur hauriendum. Imo vero longe plus bilioſi humoris ad purgationes, ipſum viſcus Hepar, quàm Veſicula ſuppeditat, quippe Cyſtico illo ductu Hepaticus alterâ parte major eſt: ut Tab. III. Fig. II. lit. G. H. oſtendit. Sed communis ille & ex utroque coaleſcens truncus, inteſtinalis dictus, proportione quaſi geometricâ, ramorum ſuorum implet extenſionem, lit. I. ut fieri non poſſit, quin delapſa utrinque illuvies in communem hunc ductum juratò præcipitetur, nihil adeoque maſſam repetat purgamenti, quod aliàs contingere deberet. Sed in

ipſa

ipſa Cyſtici figurâ, quid quæſo eſt, quod aſcendere bilem potius quàm deſcendere perſuadeat? Patieturne exſtantis anguli in extremo Cyſtici acumen in contraria deflectere humorem: equidem quam viam flatus ſubito emetitur rectâ ad inteſtinum, eamne bilis formicino gradu effugiet? Sed certum eſt & dudum receptum, utroſque Hepatis & Folliculi ductus deſuper venire, & è Pythagorico diffuſos ramo in ὑψίλου formam coire, ut Tab. III. Fig. II. & III. probant. Jam cui oculato non conſtet, ex hac viarum mechanicâ bilis utriuſque, Hepaticæ & Veſicariæ, decurſum conſequi? Quin ut appareat eundem uſum eundemque motum utramque perinde bilem agnoſcere; in certis Animalibus, vel diverſo aut eodem in Inteſtinum oſculo derivari Hepaticam Bilem Natura curavit. Reſpice Tab. III. Fig. I. Anatini Hepatis imaginem A. Veſiculæ globum B. ductum Cyſticum C. Hepaticum D. nullum præterea ductum, commune duntaxat oſculum E. in Inteſtinum patens. Sed quaſi levia iſta eſſent, Malpighii acceſſit laborioſa manus, & ligato Cyſtico ductu, exſectâ quoque Veſicâ, bilem in Inteſtina venire poſſe & frequentem oſtendit: & teſtari poſſum ego ab amico meo Petro Teckopio, Medico doctiſſimo, anno 1667, cum nihil adhuc de Malpighio aut ipſi aut Popularibus noſtris ſuboluiſſet, conſimile experimentum ad explorandum Bilis motum factum fuiſſe, quod cum mihi Venetiis agenti per literas ſignificaſſet menſe vertentis anni, idem hoc deinde me aliiſque Medicis præſentibus in Cane factitavit, bilemque Hepaticam, folliculo benè conſtricto, ad tres quatuorve uncias brevi temporis intervallo lagenulâ exce-

 pit.

pit. Schema admovi, Tab. III. Fig. III. O. lagenula eſt oſculo inteſtinalis ductus alligata. N. M. Bilis ex Hepaticis copiosè ſtillans. L. K. Cyſtis ligata & à ſuâ bile tumidior, tantum abeſt ut quid per ſecretiores ductus dimittat. Certius ergo eſt, quàm ut argumentis infringi poſſit, per Hepar, ipſum viſcus, maximam bilioſæ Cacochymiæ partem glanduloſoſque receſſus ſecerni, & vel maxime à Portarum ſanguine, ſiquidem Arteria adeo exilis vix ac ne vix quidem nutriendis, non dicam, ſatiandis atque implendis tam latis vaſtiſque ductibus, ſufficere videatur. Idem etiam & commune excretionis oſculum agnoſcit Cacochymia Seroſa & Pancreatica, quanquam & pluribus interdum ſeſe ductibus hæc exponat ab eodem viſcere in Inteſtinum porrectis, ut ante quatuor annos videre contigit. Materiæ hujuſce Seroſæ conditio pro Lymphæ ingenio varia eſt, modo enim muriatico Salſo, nunc Melancholiæ acido & Pituitæ viſco inficitur. Totidem ergo Cacochymiæ ſpecies, cum ſe ſero Pancreatico facile jungant, per has quoque vias excernentur; nam quod de Lienis fingunt excretorio, ſomnium eſt. Pituita autem, quæ hiſce exponetur tubulis, glandularum colo trajecta, à poris earum neceſſe eſt modum accipiat ſubſtantiæ, ſerique inſtar aut lymphæ pancreaticæ attenuetur. Equidem ductum M. expanſis ramulis I. L. Pancreas perambulantem ſub purgatione turgere, & in oſculum K. effundere defæcati ſanguinis purgamenta in Tab. IV. conſpicuum eſt. Bini itaque hi ductus, ſive uno ſeu diviſo in inteſtinum oſculo hiantes, maximi ſunt & manifeſtiſſimi, qui ſe in Inteſtina exonerant, canales, ut non temere potiſſimam hiſce purgationis partem adſcribamus; ligaturâ quoque in vivo animali evincente, multam

tam in Duodeni latebras exſpumare fæcem, cum bilioſam, tum ſeroſam. Argumentum autem eſt ἀποδεικτικόν, quod, quæ alvo ſub Purgatione decedunt, ea ante in Inteſtinorum fuerint cavitate; atqui in has aliaſve partes nihil à ſanguine ſucci, (Chyli enim ſub Purgatione nulla eſt ratio) niſi per certum & glanduloſum parenchyma tubuloſque peculiares ſecernitur excipiturve: ergo neceſſitate quadam, & Purgationis materia hunc in modum ſequeſtrari à maſsâ atque excerni debet. Sed inquirendi jam ſunt iſti tubuli ſecretioreſque membranarum villi excutiendi: non enim, quod tam copioſo ſufficeret fluxui, duo tantum canales ſuppeditare potuerunt. Bilarius Pancreaticuſque ductus ad oculum patent jam dudum noti, cæteri, ſi qui ſunt, aut præparatione aut infuſoriâ aperiendi veniunt. Et ne ſuſpicione auſus careret, legeram apud Galenum lib. IV. de uſu partium cap. XIX. πρῶτον μὲν παντὶ τῷ μεσεντερίῳ φλέβας ἡ φύσις ἐποίησεν ἰδίας, ἀνακειμένας αὐτῷ τῇ θρέψει τῶν ἐντέρων; id quod de Arteriis intelligendum Meſentericis, quæ ut Herophilus dixit, εἰς ἀδενώδη τινὰ σώματα τελευτῶσιν, τῶν ἄλλων ἁπασῶν ἐπὶ τὰς πύλας ἀναφερομένων. Nimirum, arteriæ nutriendis inteſtinis deſtinatæ in glanduloſa quædam corpora deſinunt, cæteræ omnes ad Portas reducuntur Hepatis. Unde ambigere non licuit, quin glanduloſi quiddam inteſtinis accumberet, aut eorum forte tunicis intertexeretur; quandoquidem ipſe imprimis Galenus lib. XIV. cap. XI. complures ejuſmodi glandulas cum ipſius uteri tunc aliarum cavitatum membranis interponi ſcripſerit. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἄλλοι τινὲς ἀδένες ἐδείκνυντο τῆς αὐτῆς ἕνεκα χρείας γεγονότες, ὥσπερ καὶ οἱ κατὰ τὴν φάρυγγα, καὶ τὴν γλῶτταν, ἔτι τε τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν καὶ τὰ ἔντερα. Proinde cum nullibi corporis immediate humorem exſudent arteriæ vel venæ, neceſſe

ceſſe eſt ab interpoſitis corporibus, arterias inter & peculiares tubulos, ſecretio exſpectetur. A venis equidem meſaraicis, illis quæ ad Hepatis contendunt portas, vel ipſo Herophilo fatente, fruſtra eſt quòd Purgamentorum ſecretionem morentur; quod enim venarum continetur ambitu, etiam ſanguinis circulatione contentique fluidi motu abripitur, & reductione ad majora vaſa, Truncum & Portas, tenetur: quod eſſe officium Meſaraïcarum, quilibet etiam Andabata vociferabitur: ut qui à nutritione, à parte jam recedit ſanguis, neutiquam in partem refundere ſuam illuviem poſſit. Si quid ergo eſt, quod in partem inſtillat humorem, id neceſſario deferre contentum in eam, non referre debet, quod negotii arteriis eſſe datum ex circulatione manifeſtum eſt. Sed hic rurſum inſania eſt credere, immediate arteriarum oſculis ad ſolam Purgantium irritationem fæcem prodire purgandam: conſtat enim omnes, qui ab arterioſo ſanguine ſequeſtrantur, ſuccos, per mediam ſubſtantiam, glanduloſum colum, transfundi, antequam in proprios concinnatoſque à naturâ tubulos proſerpant. Certe non ſanguinem eſſe, qui arteriarum oſculis prolicitur, ſed Serum aut Bilem ipſi oportet fateantur; quando itaque arteriarum oſculis eructantur ſecreti humores, in ipſis neceſſe eſt vaſorum cavitatibus hanc mutationem accipiant & ſoluti fluctuent; quis autem non videt, tubulos ſic potius & ſecreti humoris receptacula in confiniis hiſce dicenda eſſe, quàm Arterias, Sanguiduca vaſa. Cum vero nihil immediate ex arteriis ſecernatur, rectè, quod ſecretionis medium, quodque Glandulam & peculiares hic ductus Anatomica manus detexerit. Sed Experimento diluendum eſt, nihil adeo immediate ab ipſis in Inteſtina

tranſire.

transire. In Mesenterio Canino ramum Arteriæ, quæ ad Intestinum vergit, separata primùm communi membranâ, solutione implevi luteâ & purgante, experturus, utrum aliquid in Intestini redundaret cavitatem; sed ut ad arteriolarum tortuosos ductus solidamque substantiam humor cœpit illidere, vehementiore impulsione opus fuit, quo tandem conatu vesiculæ inter Peritonæi & Intestinorum tunicam propriam eruperunt, in quas ex vicinis vasculis ceu sentinam humor confluebat, nihil omnino per crustam pituitosam, quam curiosè abstergebamus, transmisso; quod eodem successu sæpius repetivimus, nisi quod semel, cum liquorem valde volatilem haberemus, pars per venas rediret, pars intestino colorem cœruleum relinqueret. Cum hoc experimento defunctus nihil immediate ab Arteriis venire concluderem, aliud excogitavi ad tubulos istos glandulosumque contextum inveniendum. Vivo Cani sub excrementorum in Intestina delapsu tundendus venter fuit, intestinorumque tenuium partes hinc inde vinculo intercipiendæ, & consuto ventre relinquendus sibi Canis. Quid ergo? tumor statim ingens interceptas partes occupare cœpit, & ad apertionem serosa illuvies late stillavit, manifesto signo hoc, quod duo vincula inter eruperat liquidi, non Pancreatis aut Hepatis, sed intestinalis tunicæ fuisse sudorem. Quod ut imitarer in humanâ alvo Tab. IV. expressam dedi. Ibi tumorem illum intestinalem inter duo vincula signant lit. O. O. O. apertionem fluxumque concepti liquoris P. Intestina autem tenuia, ut B. B. B. B. ambiuntur Crasso C. C. C. dislocato quodammodo & solutis fimbriis æquato. Liquor autem iste qui erupit, salsus fuit & Pancreaticum sapore referebat, ut non dubitem quin ad exemplum ejus, glanduloso quodam

dam texto emanaverit; ſed, fateor, nullum hujus veſtigium caninæ mihi hiræ dederunt, niſi quod ſemel prope Pancreas, cujus ego tres quatuorve ductus Duodeno expoſitos animadvertebam, corpora quædam ſphærica & tubulata ſex ſeptemve numero ſeſe aperuerint; ego tenuium glandularum glomeratum agmen eſſe ratus, poſtquam curioſius admovi manus, inveni duntaxat veſiculas quaſdam; aut cellulatos membranæ carnoſæ colliculos, adamuſſim referentes corpora ovalia Higmori in Renibus. Humor quem exſudabant, viſcoſus erat & pituitæ inteſtinalis, ut videbatur, nutrix. Hac igitur ſpe animatus, quod in Cane non potui, in Porco licuit aſſequi. Ejus exſectum alvo inteſtinum cum Ventriculo bene emunximus, & à pituitâ liberavimus viſcosâ; tum communi detectâ membranâ & inflato inteſtino adverſo ſole totum perſpexi inteſtinum: tum varia ſparſim glandularum dicam an Veſicularum agmina viſus conjecit & tandem aſſecutus eſt. Erant certe ἀδενώδη τινὰ σώματα ultimas terminantia arterias, ſecretumque à ſanguine liquorem in cellulas & inde in tubulos conferentia. Talem inteſtini portionem ſi calidæ immergas, in gelatinam aqua coïbit, viſcoſiore ſcilicet exſudante ſucco; Lymphæ ſe habet inſtar hic humor, ad calorem perinde ac frigus denſatur, ut intelligas vivo corporis flore non viſcoſum, ſed liquidum fuiſſe laticem. Tab. II. Fig. II. inteſtinum exhibet porcinum C. glandularum diſtinctum agminibus D. D. D. D. Sed tubulorum infinitam ſeriem, qui univerſum inteſtinum confertim inſident, & à diſtincto ab arteriis corpore ſuccum repetunt Fig. III. oſtendit E. quæ eſt Inteſtini portio à clariſſimo ſubtiliſſimoque Anatomico Johanne Swamerdamo, Medico Amſtelædamenſi, mecum communicata. Ibi G. inte-

riorem

riorem inteſtini tunicam exhibet tubuloſis villis oſculiſque aſperioribus interſtinctam; margo inteſtini in F. F. F. extantes canaliculos curioſius repræſentat. Debet autem calidâ prius aut acetoſo liquore macerari inteſtinum, quam hæc benè in conſpectum veniant. Ex hiſce ergo clauſtris & minutiſſimis receſſibus Purgationis non minima pars redundat ab arterioſo meſenterii ſanguine, ſive membraneo ſeu glanduloſo tunicarum colo ſecreta: Serum autem hiſce tantum aut Lympha recipitur, nunquam Bilis, refugiente hanc pororum mechanicâ. Sed non inteſtinis tantum hi tubuli, verum manifeſtiores quoque rugis aut plicis inteſtinalibus interſeruntur, quos ſi calente corpore manibus compreſſeris, Lympham exſudant. Hæc potiſſimum ad Vomitorii in Ventriculo actionem evocatur, uti Buccarum Maxillæque tubulis ad Aloës Rhabarbarique commorſicationem ſalivalis exundat fluor. Sane vulnus Ventriculo inflictum in R. ſtillantem liquorem S. ab hiſce imprimis tubulis aut glandularum iſtis in Q. deducendum eſſe perſuadet. Verum etiam in Inteſtino Recto Porci notabiles valde & papillares ductus agnovimus, ex quibus expreſſi humorem glutinoſum. De hiſce quoque non ambigam, quin in homine reperiantur, cum reliqua omnia magnopere reſpondeant. Nimirum, incuria hoc Inteſtinum minus perſpectum dedit, nam plerunque ab Anatomicis in corpore relinquitur, aut propter colluviem iſtam tractari recuſat. Sed objicis, nihil à memoratis antè tubulis exſpectari poſſe liquoris, nihil ſucci ſecreti, quòd ad Inteſtini apertionem etiam calente viſcere nihil appareat. Non ergo in Buccam redundat liquor iſte Salivalium aut Palatinarum glandularum, vel etiam ipſius Pancreatis, quia eruptio è Latebris

videri

videri nequit? Sed id certum eſt, & reperiuntur, qui certo preſſionis modo, ceu pluvioſum imbrem, ſalivalium oſculis evocant Salivam, uti preſſum Citrum emiſſitias oculis admovet particulas. Per tot igitur vias depluunt fermento purgativo imbutæ partes, & ad eos convertuntur aditus, quibus naturaliter Cacochymia incumbit; Glandulis nimirum Oeſophagi, Ventriculi, Hepatis, Pancreatis, Inteſtinorumque continuis tubulis. Cavum deinde perambulantes tortuoſæ fiſtulæ, flumen aliquod è liquoris coeunte ſentinâ faciunt, rugaſque inteſtinales (quæ nihil aliud, quam collecta interior membrana, & in plicas non tam regulares, vel, ut volunt, ſemilunares valvulas, ſed ramoſas & perplexas convoluta) naturaliter laxas explanant, quo ipſo aſperam aliàs & incommodam viam facilem ſibi reddunt lubricamque, ſed & tumore illo atque expanſione nerveæ tunicæ carnea altera vellicatur, cujus fibræ, cum perpetuo tumeant, tendinibus ſuis membranoſis accedere nituntur, & luxuriantem præter modum tumorem conſtrictione ſuâ compeſcere: hinc contenti liquidi flumen in ſuccedentes paulatim partes eliditur, & tranſmiſſis tenuibus in Coli camaratas cellulas, interioris etiam membranæ duplicationes, exponitur; ſed neque hæ ita rugæ detinere fluentis rivi impetum poſſunt, qui momento etiam Coli pervolet ſphæram, inſalutatoque Sphynctere, quippe qui reprimere inſiſtentem, nequit, in auras prodeat, τὸ ἄκρητον καὶ ἅλις ἐζυμωμένον διαχώρημα.


FINIS.

Fig. II.



TABULA I.

Figura I.








TAB. II.







TAB. III.

Fig. I.




Fig. II.



Fig. III.




TAB. IV.
E
A
Q
B
R
F
I
I
M
E
E
L
C
N
S
C
B
O
O
B
P
O
B
B
B
C
D

INDEX MATERIARUM.

V Quid

C.

D.

L.

M.

O.

P.

FINIS.



